JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Vartan Gregorian
EIGHTEENTH-CENTURY
BOOK FUND

14774

14774/
38398

200-
PREM

OFFICIA
SANCTORUM
IN BREVIARIO ROMANO

ex mandato Summorum Pontificum apponenda, tàm de præcepto, quàm ad libitum recitanda.

ET ALIA QUÆ IN REGNIS HISPAniarum, & alijs locis recitari poſſunt, iuxtà Rubricas Breuiarij Romani, ex Dec. Sac. Rit. Congr. Auctoritate ſuperiorum nouiſſimé recognita.



HISPALI.

EX TYPOGRAPHIA LVCÆ MARTINI DE HERMOSILLA, ANNO M. DCC.

LICENCIA.

NOS EL LICENCIADO DON GONZALO Fernandez de Cordova, Cavallero del Orden de Alcantara, Sumiller de Cortina de ſu Mageſtad, de ſu Conſejo, Comiſſario Apoſtolico General de la Santa Cruzada, y demàs gracias en todos ſus Reynos, y Señorios, Juez Particular, y Priuativo para lo tocante á los Libros del nuevo Rezado, ſu impreſſion, taſſa, y diſtribucion, en virtud de Bulas Apoſtolicas, y Privilegios Reales, &c. Por la preſente damos licencia al Padre Fray EUSEBIO DE TOLEDO, del Orden de San Geronimo, Adminiſtrador General del Nuevo Rezado en la Ciudad de Sevilla, para que pueda hazer imprimir el quaderno de los Santos nuevamente añadidos al Breviario Romano, ſin caer, ni incurrir por razon de la dicha impreſſion en pena alguna. Dada en Madrid á veinte y cinco de Março de mil ſetecientos años. Preſentando primero ante Nos los originales por donde ſe huviere de hazer la dicha impreſſion, y no de otra manera, y con todos los requiſitos neceſſarios.

Don Gonçalo Fernandez de Cordova.

Fr. Juan de Almaguer

Por mandado de ſu Señoria Iluſtriſſima.

Don Franciſco Manuel de Corcuera.

KA-

KALENDARIUM SANCTORVM, quorum Officia, de nouo conceſſa, in hoc Appendice continentur.

IANVARIVS.

16 Sanctiſſimi Nominis Ieſu duplex ſecundæ Claſſis, in multis Diœceſibus,& Religionibus. Pag. 1.
23 S.Raymundi de Peñafort Conf. Semidupl. pag.8.

FEBRVARIVS.

6 S.Andreæ Corſini Epiſc. & Conf. Semidupl. pag. 10.
8 S.Ioannis de Matta Conf. dupl.in Hiſpan. pag 10.
12 S.Eulaliæ Virg. & mart. dupl. in Hiſpan. pag. 12.

MARTIVS.

1 S.Rudeſindi Epiſc. & Conf. dupl. pag. 15.
8 S.Ioannis de Deo Conf. Semidupl. pag.16.
3 Ss.Hemetherij, & Celedonij Mart.dup.in Hiſpan. pag.19.
17 S.Patritij Epiſc.& Conf. Semidupl.pag.23.
18 S.Gabrielis Archang. dupl.mai. in Hiſpan. pag.25.
19 S.Ioſeph Conf. dupl.2. Claſ. pag.32.
* Feſtum Septem Dolorum B. M. U. dupl. mai. in Hiſpan. pag. 34.

APRILIS.

21 S.Anſelmi Epiſcop.& Conf.Semidupl.pag.49.

MAIVS.

4 Coronæ D.N. Ieſu Chriſti. dupl.pag.52.
10 S. Antonini Epiſc.& Conf. Semidupl. ad libit.pag 58.
12 S.Dominici Calciatenſ.Conf.Semidupl.in Hiſpan.pag.59.
13 B.Petri Regalati Conf.Semidupl.ad libit.in Hiſpan.pag.61.
15 S.Iſidori Agricolæ Conf. dupl.cum Octau.ad libit.pag 63.
15 S.Torquati Epiſc. & mart. Semidupl. pag.67.
30 S.Ferdinandi Conf.dup.pag. 71.

IVNIVS.

10 S.Margaritæ Viduæ. Semidupl.de præcepto. pag.73.
18 Ss. Mart. Cyriaci, & Paulæ Virg. dupl. pag.74.

IVLIVS.

16 Commemorat. ſolemn. B.M de Monte Carmelo. dupl. mai. in Hiſpan. pag.76.
20 S.Liberatæ Virg. & mart. dupl. 2. Claſ. pag.82.

AV

AVGVSTVS.

2 S.Petri Epiſc.Oxomenſ.& Conf.dup. pag.86.
7 S.Caietani Conf. dup. pag. 88.
9 Ss.Mart.Iuſti,& Paſtoris. dupl.2.Claſ.in Hiſpan.pag.91.
12 S.Claræ Virg. dup. Lectiones 2. Nocturni. pag. 99.
23 S.Philippi Benitij Conf. Semidupl. pag.101.
30 S.Roſæ à S.Maria Virginis. dupl.pag.103.

SEPTEMBER.

2 S.Stephani Regis, & Conf. Semidupl. pag.104.
* Feſtum Nominis B.M.V. dupl.mai. de præcepto. pag.107.
5 S.Laurentii Iuſtiniani Epiſc.& Conf. Semidupl. pag.113.
7 S.Roſaliæ Virg. Pro Eccleſia Hiſpalenſ. dup.& pro Diœceſi Semidupl. pag.115.
17 B.Petri de Arbues Mart. dup. pag.117.
24 Feſtum B.M.V. de Mercede dup. in Hiſpan. pag.119.

OCTOBER.

10 S.Franciſci Borgiæ Conf.dupl.2.Claſ.in Hiſpan. pag.121.
10 S.Ludovici Bertrandi Conf. dup. pag. 122.
13 S.Eduardi Regis, & Conf. Semidupl. pag.124.
17 S.Heduvigis Viduæ. Semidupl.ad libit. pag.125.
23 S.Petri Paſchaſij Epiſc. & mart. in Hiſpan. pag 127.
24 S.Raphaëlis Archangeli.dupl.minus pag.129.
29 S.Narciſſi Epiſc.& mart.dup.minus.ſine Octau.pag.136.

NOVEMBER.

* Feſtum Patrocinij B.M.V.dupl.mai.in Hiſpan. pag.141.
13 S.Didaci Conf. Semidupl. pag.142.
15 S.Eugenij Archiepiſc.& mart.dupl.in Hiſpan. pag.144.
19 S. Eliſabeth Reginæ Hungariæ Viduæ. dupl pag.146.
20 S.Felicis de Valois Conf dupl in Hiſpan. pag.147.
26 Deſponſationis B. M. V. cum S. Ioſeph. dupl. pag.149.

DECEMBER.

3 S.Franciſci Xauerij Conf. dupl. pag.55.
10 S.Eulaliæ Emeritenſis Virg. & mart. Semidupl. pag.157.

OFFI-

OFFICIA PROPRIA SANCTORVM.

DIE XVI. IANVARIJ.

In feſto Ss. Nominis Ieſu. Duplex ſecundæ Claſis.

AD VESPERAS.

Aña. Omnis, qui inuocauerit Nomen Domini, ſaluus erit.

Pſalm. Dixit Dominus. *Cum reliquis de Dominica : & loco vltim. Pſalm.* Credidi. *Aña.* Sanctum, & terribile nomen eius, initium ſapientiæ, timor Domini. *Aña.* Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. *Aña.* A ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini. *Aña.* Sacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Capitulum. *Phil.2 à 8.*

FRatres, Chriſtus humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen : vt in Nomine Ieſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Hymnus.

IEſu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed ſuper mel & omnia
Eius dulcis præſentia.
Nil canitur ſuavius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Ieſus Dei Filius.
Ieſu ſpes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus!
Quàm bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimerè,
Expertus poteſt credere,
Quid ſit Ieſum diligere.
Sis Ieſu, noſtrum gaudium,
Qui es futurus premium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cũcta ſemper ſecula. Amen

℣. Sit nomen Domini benedictũ, alleluia. ℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum, alleluia.

Ad Magnificat. Aña.

Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius, alleluia.

Oratio.

DEus, qui Vnigenitum Filium tuum conſtituiſti humanis generis Saluatorem, & Ieſum vocari iuſſiſti: Concede propitius, vt cuius ſanctum Nomen veneramur in terris, eius quoque aſpectu perfruamur in cœlis. Qui tecum viuit, & regnat.

Et fit Commemorat. Octavæ Epiphaniæ tantum.

Ad Completorium, & alias Horas diei in fine Hymnorum dicitur. Ieſu, tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine.

A *Ad*

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Admirabile nomen Ieſu, quod eſt ſuper omne nomen: * Venite adoremus. *Pſalmus.* Venite exultemus.

Hymnus.

IEſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Ieſu dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
Ieſum omnes agnoſcite,
Amorem eius poſcite:
Ieſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Te noſtra, Ieſu, vox ſonet,
Noſtri te mores exprimant,
Te corda noſtra diligant,
Et nunc, & perpetuum.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! *Pſalm.* Domine Dominus noſter. *Cum reliq. vt in Officio Parvo Beatæ Mariæ Pſalm. veró iſte incipit á ſecundo* ℣. Quoniam eleuata eſt. *Aña.* In Nomine Ieſu omne genuflectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Pſalm.* Cœli enarrant. *Aña.* Confitemini Domino, & invocate nomen eius: memento quoniam excelſum eſt nomen eius. *Pſalmus.* Domini eſt terra. ℟. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. ℟. Multum eſt enim.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. *Cap. 3. á 1.*

PEtrus autem, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, vt peteret eleëmoſynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleëmoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera, alleuabit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

℟. Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: * Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum á peccatis eorum.

rum. ℣. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Ipſe enim.

Lectio ij.

ET vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illum, quòd ipſe erat, qui ad eleëmoſynam ſedebat ad Specioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore, & extaſi, in eo quo contigerat illi. Cum teneret autem Petrum, & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes. Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus Patrum noſtrorum glorificauit Filium ſuum Ieſum: quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem ſanctum, & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus. Et in fide nominis eius, hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.

℟. Benedictum eſt nomen tuum Deus Patrum noſtrorum, qui cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis: * Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

℣. Et benedictum nomen maieſtatis tuæ in æternum, qui facis mirabilia ſolus. Et in tempore.

Lectio iij. *Cap. 4.*

FActum eſt autem in craſtinũ, vt congregarentur Principes eorum, & ſeniores, & Scribæ in Ieruſalem; & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali. Et ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & ſeniores audite: Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt, notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël: quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

℟. Laudabo nomen tuum aſſiduè: * Et collaudabo illud in confeſſione. ℣. Lætabor, & exultabo in te: pſallam nomini

 tuo,

tuo, Altiſſime. Et collaudabo. Gloria Patri. Et collaudabo.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione, & generationem. *Pſalm.* Eructavit. *Aña.* Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. *Pſalm.* Deus noſter refugium. *Aña.* Omnes Gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. *Pſalm.* Fundamenta eius. ℣. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos. ℟. Et propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis. *Serm. 15. ſuper Cant. circa med.*

Lectio iiij.

NOn otioſè Spiritus Sanctus nomen ſponſi oleo comparat, cùm ita docet ſponſam ad ſponſum clamare: Oleum effuſum nomen tuum. Oleum enim lucet, paſcit, & vngit. Fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Uide idem nunc & de ſponſi nomine. Lucet prædicatum: paſcit recogitatum: invocatum lenit, & vngit. Et percurramus ſingula. Undè putas in toto orbe tanta, & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato nomine Ieſu: Nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.

℟. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum: * Quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine. ℣. Exurge Domine, adiuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Quoniam.

Lectio v.

HOc denique nomen coram regibus: & gentibus, & filijs Iſraël portare iuſſus eſt idem Apoſtolus: & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat vbique: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum: annuntians in omni loco Ieſum & hunc crucifixum: Quomodo lux iſta reſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentiũ oculos, quando de ore Petri tamquam fulgor egrediens, claudi vnius corporales plantas ſolidavit & baſes, multoſque ſpiritualiter cæcos illuminauit? Numquid non ignem ſparſit, cùm ait: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula?

℟. Confiteamur nomini tuo magno: * Quoniam terribile, & ſanctum eſt. ℣. Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. Quoniam.

Lectio vj.

NEc tantum lux eſt nomen Ieſu, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur. Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum. Si diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor eius Ieſus, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, reddit ſerenum. Labitur quis in crimen? currit inſuper ad laqueum mortis deſperando, nonne, ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?

℟. Lætentur omnes, qui ſperant in te, Domine: in æternum exultabunt, & habitabis in eis. & gloriabuntur in te omnes. * Qui diligunt nomen tuum. ℣. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Qui diligunt. Gloria Patri. Qui diligunt.

In tertio Nocturno.

Aña. Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem ſalutare eius. *Pſal.* Cantate. *j. Aña.* Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua. *Pſalm.* Dominus regnauit, exultet.

Aña. Cantate Deo, Pſalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. *Pſalm.* Cantate. *ij.* ℣. Afferte Domino gloriam, & honorem. ℟. Afferte Domino gloriam nomini eius.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2. c.

IN illo tempore: Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer: vocatum eſt nomen eius Ieſus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 1. de Circumciſione.

MAgnum, & mirabile Sacramentum. Circumciditur puer, & vocatur Ieſus. Quid ſibi vult iſta connexio? Circumciſio nempè magis ſalvandi, quàm Salvatoris eſſe videtur: & Salvatorem circumcidere potiùs decet, quàm circumcidi. Sed agnoſce mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipſo natiuitatis ſuæ exordio Diuinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fecunditatis fructus ſic accedat, vt non decidat flos virginitatis. Pannis involuitur; ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur

tur. Abſconditur in præſepio, ſed proditur radiante ſtella de Cœlo. Sic & Circumciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis; & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat maieſtatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ filius: Ieſus vocatur tamquam Filius Dei.

℟. Tribulationem, & dolorem inveni. * Et nomen Domini invocaui. ℣. Turris fortiſſima nomen Domini, in ipſo ſperaui, & adiutus ſum. Et nomen. *Benedictio.* Diuinum auxilium.

Lectio viij.

NEque enim ad inſtar priorum meus iſte Ieſus nomen vacuum, aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis vmbra, ſed veritas. Cœlitus ſiquidem inditum nomen Euangeliſta teſtatur: Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Poſtquam natus eſt Ieſus. Ieſus vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Idem quippè & Angeli Salvator, & hominis; ſed hominis ab incarnatione; Angeli abinitio creaturæ. Vocatum eſt, ait, nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo. In ore ergo duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum; & ipſum, quod in Propheta abbreviatum; manifeſtius in Euangelio legitur caro factum.

℟. Expectabo nomen tuum Domine: * Quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum. ℣. Vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Nona Lectio de ſancto Felice martyr.

Pro Eccleſijs in quibus hoc feſtum eſt Titulare.

Lectio jx.

Idem Serm. 2. de Circumciſ.

MEritò ſanè dum circumciditur puer, qui natus eſt nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc iam cœperit operari ſalutem noſtram, immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens. Neque enim iam quærere eſt Chriſtianis, cur voluerit Dominus Chriſtus circumcidi: propter hoc ſiquidem circumciſus eſt, propter quod natus, propter quod paſſus. Nihil horum propter ſe, ſed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumciſus, nec mortuus eſt pro peccato ſuo; magis autem propter delicta noſtra. Quod vocatum eſt, inquit, ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Vocatum planè, non impoſitum: nempè hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet vt ſit Salvator: innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura.

Te Deum Laudamus.

AD LAUDES,

& per Horas. Aña.

OLeũ effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. *Pſalm.* Dominus regnavit. *cum reliq.* *Aña.* Scitote quia Dominus ipſe eſt Deus, cuius nomen in æternum. *Aña.* Sitiuit anima mea ad nomen ſanctum tuum Domine. *Aña.* Benedictum nomen gloriæ ſuæ, ſanctum, & laudabile, & ſuper exaltatum in ſæcula. *Aña.* Iuvenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudatẽ nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.

Capitulum. *Philip.* 2. *á* 8.

FRatres, Chriſtus humiliavit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quòd eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Hymnus.

IEſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Qui te guſtant, eſuriunt,
Qui bibunt, adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,
Niſi Ieſum, quem diligunt.
O Ieſu mi dulciſſime,
Spes ſuſpirantis animæ!
Te quærunt piæ lachrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine:
Pulſa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.
Ieſu flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnus beatitudinis.
Amen.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum, & terram.

Ad Benedictus, Aña.

Dedit ſe vt liberare populum, & acquireret ſibi nomen æternum, alleluia.

Oratio.

DEus, qui Vnigenitũ Filium tuum conſtituiſti humani generis Salvatorem, & Ieſum vocari iuſſiſti: concede propitius; vt cuius ſanctum Nomen veneramur in terris, eius quoq; aſpectu perfruamur in cœlis. Qui tecum viuit & regnat.

Poſteá fit Commemorat. ſancti Felicis martyr.

Ad Primam in ℟. *brevi dicitur* ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam. Aña. Scitote.

Capitulum. Fratres, Chriſtus humiliavit.

℟. *brev.* Sit nomen Domini benedictum. * Alleluia, alleluia. Sit nomen. ℣. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Sit nomen Domini. ℣. Afferte Domino gloriam, & honorem, alleluia.

℟.

℟. Afferte Domino gloriam nomini eius, alleluia.

Ad Sextam. *Aña.* Sitiuit.

Capitulum. *Philip. 2 b.*

IN nomine Ieſu omne genufle-ctatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

℟. *brev.* Afferte Domino gloriam & honorem: * Alleluia, alleluia. Afferte. ℣. Afferte Domino gloriam nomini eius. Alleluia, allelu. Gloria Patri. Afferte. ℣. Magnificate Dominum mecum, alleluia. ℟. Et exaltemus nomen eius in idipſum, alleluia.

Ad Nonam. *Aña.* Iuvenes, & virgines.

Capitulum. *Coloſ. 3. c*

OMne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.

℟. *brev.* Magnificate Dominum mecum. * Alleluia, alleluia. Magnificate. ℣. Et exaltemus nomen eius in idipſum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Magnificate. ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, alleluia. ℟. Qui fecit cœlum, & terram, alleluia.

In ſecundis Veſperis, omnia dicuntur ſicut in primis.

Ad Magnificat. Aña.

Vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, alleluia.

Oratio, vt ſupra.

Deinde fit Commemorat. ſancti Pauli primi Eremitæ, & ſancti Mauri Abbatis.

DIE XXIII. IANVARIJ.

In feſto ſancti Raymundi de Peniafort Conf. Semidup.

Omnia de Communi Confeſ. non Pontif. præterea, quæ hic habentur: & ad Hymn. Iſte Confeſſor, *dicitur.* ℣. Hæc die lætus meruit ſupremos Laudis honores.

Oratio.

DEus, qui beatum Raymundum pœnitentiæ Sacramenti inſignem miniſtrum elegiſti, & per maris vndas mirabiliter traduxiſti: concede, vt eius interceſſione dignos pœnitentiæ fructus facere, & ed æternæ ſalutis portum pervenire valeamus. Per Dominum noſtrum.

Et fit Commemorat. S. Emerentianæ Virg. & mart.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura ocurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

BEatus Raymundus Barcinonenſis, ex nobili familia de Peniafort, Chriſtianæ Religionis rudimentis imbutus, adhuc paruulus eximia animi, & corporis indole magnum aliquid portendere viſus eſt. Nam adoleſcens humaniores litteras in patria profeſſus, Bononiam ſe contulit, vbi pietatis officijs,

āc Pontifico, Ciuilique iuri ſedulò incumbens, & Doctoris laurea inſignitus, ibidem Sacros Canones magna cum hominum admiratione eſt interpretatus. Eius virtutum fama percrebeſcente, Berengarius Barcinonenſis Epiſcopus, cum Roma ſuam ad Eccleſiam rediret, eum conveniendi cauſa Bononiam iter inſtituit: & tandem ſummis precibus, vt ſecum in patriam reverteretur, obtinuit. Mox eiuſdem Eccleſiæ Canonicatu, & Præpoſitura ornatus, vniuerſo Clero, & populo integritate, modeſtia, doctrina, & morum ſuavitate præfulſit ac Deiparæ Virginis, quam ſingulari pietatis affectu venerabatur, honorem, & cultum ſemper pro viribus auxit.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ANnum circiter quintum ſupra quadrageſimum à gens, in Ordine Fratrum Prædicatorum, ſolemni emiſſa profeſſione, vt nouus miles, in omni virtutum genere, ſed præcipuè in charitate erga egenos, & maximè Captivos ab infidelibus detentos ſe exercuit. Vnde cum eius hortatu Sanctus Petrus Nolaſco (cuius ipſe confeſſiones audiebat) ſuas opes pijſſimo huic operi conferret; tum eidem, tum beato Raymundo, & Iacobo Primo Aragoniæ Regi apparens Beatiſſima Virgo, gratiſſimum ſibi, & Vnigenito Filio ſuo fore dixit, ſi in ſuum honorem inſtitueretur Ordo Religioſorum, quibus captivos ex infidelium tyrannide liberandi cura incumberet. Quare collatis inter ſe conſilijs; Ordinem beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum fundauerunt: cui beatus Raymundus certas viuendi leges præſcripſit ad eiuſdem Ordinis vocationem accommodatiſſimas: quarum approbationem aliquot poſt annos á Gregorio Nono impetrauit, & dictum Sanctum Petrum primum Generalem Ordinis Magiſtrum ſuis ipſe manibus, habitu eodem indutum, creauit.

℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradiſi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

AB eodem Gregorio Romam accerſitus, & Capellani, ac Pœnitentiarij, & Confeſſarij ſui munere decoratus, eiuſdem iuſſu Romanorum Pontificum decreta, in diverſis Concilijs, & Epiſtolis ſparſa, in vnum Decretalium volumen redegit.

degit. Archiepiſcopatum Tarraconenſem, ab ipſo Pontifice ſibi oblatum, conſtantiſſimè recuſauit; & totius Ordinis Prædicatorum generale Magiſterium, quod per biennium ſanctiſſimè adminiſtrauerat, ſponte dimiſit. Iacobo Aragoniæ Regi Sacræ Inquiſitionis officij ſuis in regnis inſtituendi auctor fuit. Multa patrauit miracula; inter quæ illud clariſſimum, quod ex Inſula Baleari Maiori Barcinonem reuerſurus, ſtrato ſuper aquas pallio, centum ſexaginta milliaria ſex horis confecerit, & ſuum Cœnobium ianuis clauſis fuerit ingreſſus. Tandem prope centenarius, virtutibus, & meritis cumulatus, obdormiuit in Domino anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, quem Clemens Octauus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cœleſtia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno Homilia in Euangel. Sint lumbi veſtri. *vt in Communi Conf. non Pontif.*

Nona Lectio de ſancta Emerentiana Virg. & mart. & de ea fit Commemor. in Laudib.

Miſſa de Communi Confeſ. non Pontif. Os iuſti. *Prima Orat. prop.* Deus, qui Beatum Raymundum. *vt ſupra, reliq. omnia vt in eodem Communi.*

DIE VI. FEBRVARIJ.

In feſto S. Andreæ Corſini Epiſc. & Confeſ. Semid. ad lib.

Fit de eo hac die in Hiſpan. ex Decret. Sacr. Rit. Congregat. 19. Aprilis 1687.

Omnia vt in Breviar. in ſanctis ad libit. præter Orationem, quæ ſequitur.

Oratio.

DEus, qui in Eccleſia tua noua ſemper inſtauras exempla virtutum: da populo tuo, beati Andreæ Confeſſoris tui atque Pontificis ita ſequi veſtigia, vt aſſequatur & præmia. Per Dominum noſtrum.

Quam Orationem Sacr. Rit. Congregat. die 11. Martij 1681. præcepit in poſterum recitari in feſto ſanctæ Andreæ Corſini, omiſſa Oratione: Deus, plebis tuæ miſerator, *pro Diœceſi Feſulana tantùm.*

DIE VIIJ. FEBRUARIJ.

In feſto ſancti Ioannis de Matta Confeſ. Duplex.

In Hiſpania tantùm.

Omnia de Communi Confeſ. non Pontif. exceptis his quæ ſunt propria.

In Hymno. Iſte Confeſſor, *mutatur tertius Verſus.*

Oratio.

DEus, qui per ſanctum Ioannem de Matta Ordinem San-

Sanctiſſimæ Trinitatis ad redimendum de poteſtate Saracenorum Captiuos, cœlitus inſtituere dignatus es: præſta quæſumus; vt eius ſufragantibus meritis, à captiuitate corporis & animæ, te adiuuante, liberemur. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Si autem occurrat in Quadrageſ. legantur Lectiones de Communi Confeſ. non Pontif. Iuſtus, ſi morte præoccupatus.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

IOannes de Matta, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Inſtitutor, Falcone in Prouincia natus eſt, parentibus pietate, & nobilitate conſpicuis. Studiorum cauſa Aquas Sextias, mox Pariſios profectus, confectoque Theologiæ curriculo, Magiſterij Lauream adeptus, Doctrina & virtutum ſplendore enituit. Quibus motus Pariſienſis Antiſtes, ad ſacrum Presbyteratus ordinem præ humilitate reluctantem promouit, eo conſilio vt in ea Ciuitate commorans, ſapientia, & moribus ſtudioſæ iuuentuti prelucèret. Cum autem in Sacello eiuſdem Epiſcopi, ipſo cum alijs adſtante, primum Deo ſacrum oſſerret, cœleſti fauore meruit recreari. Nam Angelus candida, & fulgenti veſte indutus, cui in pectore Crux rubei, & cerulei coloris aſſuta erat, brachijs cancellatis, & ſuper duos Captiuos ad latera poſitos, Chriſtianum vnum, alterum Maurum, extenſis apparuit. Qua viſione in extaſim raptus, intellexit protinus vir Dei, ſe ad redimendos ab infidelibus Captiuos deſtinari.

℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

QVo verò maturius in re tanti momenti procederet, in ſolitudinem receſſit, ibique diuino nutu factum eſt, vt Felicem Valeſium in ipſa eremo iam multis annis degentem repererit; cum quo inita ſocietate, ſe per triennium in oratione, & contemplatione, omniumque virtutum ſtudio exercuit. Contigit autem, vt dum ſecum de rebus Diuinis propè fontem colloquerentur, ceruus ad eos acceſſerit, Crucem inter cornua gerens rubei, & cerulei coloris. Cumque Felix ob rei nouitatem miraretur; narrauit ei Ioannes viſionem in prima Miſſa habitam, & exinde feruentius orationi incumbentes, ter in ſomnis admoniti, Romam proficiſci decreuerunt; vt à Summo Pontifice noui Ordinis pro redimendis Captiuis inſtitutionem impetrarent. Electus fuerat eo tempore Innocentius Tertius, qui illis benignè acceptis, dum ſecum de re propoſita deliberat, in feſto ſanctæ Agnetis

tis Secundo Laterani intra Miſſarum ſolemnia, ad Sacræ Hoſtiæ eleuationem, Angelus ei candida veſte, cruce bicolori, ſpecie redimentis Captiuos apparuit. Quo viſo Pontifex Inſtitutum approbauit, & nouum Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum vocari iuſſit, eiuſque profeſſoribus albas veſtes cum Cruce rubei & cerulei coloris præbuit.

℞. Amauit eum Dominus. 9.

Lectio vj.

SIc ſtabilito Ordine, ſancti Fundatores in Galliam redierunt, primoque Cœnobio Cerui frigidi in Diœceſi Meldenſi conſtructo, ad eius regimem Felix remanſit, & Ioannes Romam cum aliquot ſocijs reuerſus eſt, vbi Innocentius, domum, Eccleſiam, & Hoſpitale ſancti Thomæ de Formis in Monte Cœlio eis donauit, cum multis redditibus, & poſſeſſionibus. Date quoque litteris ad Miramamolinum Regem Marrochij, opus redemptionis fœlici auſpicio inchoatum fuit. Tùm ad Hiſpanias, ſub iugo Saracenorum magna ex parte oppreſſas, Ioannes profectus eſt, Regumque, Principum, atque aliorum fidelium animos ad Captiuorum, & pauperum commiſerationem commouit. Monaſteria ædificavit, Hoſpitalia erexit, magnoque lucro animarum plures Captiuos redemit. Romam tamdem reuerſus, ſanctiſque operibus incumbens, aſſiduis laboribus attritus, & morbo confectus, ardentiſſimo Dei, & proximi amore exæſtuans, ad extremum deuenit. Quare fratribus conuocatis, eiſque ad opus redemptionis cęlitus præmonſtratum efficaciter cohortatis, obdormiuit in Domino ſexto decimo Kalendas Ianuarij, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo decimo tertio: eiuſque corpus in ipſa Eccleſia ſancti Thomæ de Formis cōdigno honore tumulatum fuit.

℞. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel. Sint lumbi veſtri præcincti. *de eodem Communi.*

Miſſa: Os iuſti, *de eodem Communi. Orat. vt ſupra.*

DIE XII. FEBRVARIJ.

In feſto ſanctæ Eulaliæ Virg. & martyr. Patronæ Ciuitatis Barcinonenſis. Duplex.

Omnia de Communi Virgin. & martyr. præterea quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui nos martyrij Beatæ Eulaliæ Uirginis, & martyris tuæ ſolemnitate lætificas: concede propitius; vt glorioſiſſimis eiuſdem meritis, & terrena nobis proficiant, & cœleſtia deſidarata proueniant. Per Dominum noſtrum.

Si ocurrat in Quadrageſ. fit Commemorat. Feriæ.

Le-

Lectiones primi Nocturni. In Quadrageſ. De Epiſtola prima beati Pauli Apoſtoli ad Corinth. De Virginib.

Extra Quadrageſ. de Scriptura ocurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

EUlalia Virgo Barcinonenſis, nobilibus parentibus nata, & in Chriſti fide ac religione educata, cum decimum quartum ſuæ ætatis annum attingeret, & in eadem tenera ætate deſiderio martyrij flagraret, diuinitùs inſpirata, ſe ipſam ſponte Præſidi Daciano, Barcinone perſecutionem adverſus Chriſtianos exercenti, ad martiriū offerre decreuit. Cumque ruri tribus ferè milliaribus procul à Barcinonenſi vrbe maneret, inde, parentibus, atque domeſticis id ignorantibus, clam recedens, Barcinonem pervenit. Vbi prætorianam domum ingrediens, Præſidem pro tribunali ſedentem adit, & ſtans coram eo, ſic alta voce elocuta: Vt quid, Daciane, audes Chriſtianorum ſanguinem iniuſtè fundere, & eoſdem ad falſos venerandos deos cogere? Vnus eſt ſolus verus Deus, omnipotens, omnium Creator, & Dominus, quem Imperatores Diocletianus, & Maximianus, & tu, & omnes homines venerari obligantur. Quomodo ergo, homo cum ſis, non times Deum vnum omnipotentem offendere? Aut cur Chriſtianos pervertere niteris, vt Deum verum deſerant, & falſa dæmonum ſimulacra, opera manuum hominum fabricata, colant? Ad quam Dacianus rei nouitate turbatus, dixit: Quænam es tu, quæ contra Imperatoriam maieſtatem, & miniſtrorum ſuorum debitam reuerentiam, auſa es talia publicè proferre verba? Cui virgo: Ego ſum Eulalia, ancilla Ieſu Chriſti, qui & Dei Patris, & Mariæ Virginis matris eſt Filius, qui ſolus eſt Rex regum, & Dominus dominantium, & cui Diuinus iure debet exhiberi honor, & cultus, non autem idolis.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

HAc glorioſa fidei confeſſione, quaſi ſplendenti luce excæcatus tyrannus, tùm odio in Chriſtianos commotus, tùm ira contra virginem concitatus, eam illicò alligari, in cuſtodiam deduci, ibidemque crudeliter verberari imperat. Quod tormentum cum conſtanti animo, & læto vultu tenera virgo, multis id videntibus, atque mirantibus, ſuſtinens, ferina rabie contra ancillam Chriſti magis concitatus Dacianus, omni tor-

men-

mentorum genere Eulaliã Chriſtianam debere excruciari decernit. Igitur primum Eulalia in equuleo poſita ferociter dilaceratur. Mox vngulis ferreis tota excarnificatur: facibus, flammiſque ardentibus, ad eius virginale pectus, lateraque admotis exuritur. Oleum ſuper eius exuſtum, plagatumque corpus infunditur: quo totum pervnctum, ſupra viuam calcem extenditur, ac volutatur, vt ardore calcis interiora virginis viſcera acerbiſſimè torquerentur. Liquatum ac fervens plumbum ſupra virgineum corpus effunditur. Ac totum ipſum corpus acutis teſtaceis fragmentis confricatur. Ne autem ſenſus aliquis proprio careret dolore, per eius nares acetum cum attrita ſinapi permixtum immititur: & candelis denique accenſis caſtiſſimi virginis oculi aduruntur. Quare nihil non tentat, nihil non facit ingenioſa, ſæuaque tyranni malitia, vt á verò cultu Dei cultricem abducat. Ceterùm quò magis creſcit tortoris ſæuitia, eo magis augetur in ſponſa Chriſti conſtantia, fortitudo, & gratia. Etenim Eulalia in cruciatibus Deum orat, eidemque læta gratias agit: dumque tortores in inferendis tormentis fatigantur, ipſa nec triſtitia affecta, nec moleſtia fracta, omnia non ſolùm æquo, verùm etiam alacri animo perferebat.

℟. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Propterea.

Lectio vj.

NIhil iam ſe poſſe vi tormentorum contra Eulaliam ſperabat Dacianus. Ad infamiam ergo, & ignominiam callide ſuum vertit obſtinatum animum, vt experiatur ſi hoc modo valeat triumphare. Igitur caſtam, & verecundam virginem, nudam corpore, exuſtam, dilaceratam, oleo, calce, & cruore ſanguinis conſperſam, ac deformatam, per vicos, & plateas Ciuitais publicè, coram omnium oculis, circumferri iubet. O acerbam crudeleque ſpectaculum! Sed qui animalia terræ, & volatilia cœli veſtit Deus, ſponſam ſuam Eulaliam mirabilibus ornauit indumentis. Nix enim illicò de cœlo cecidit, quæ ſacræ virginis corpus mirandum in modum contexit: quæque cœlitus ſuo contemperato frigore virgini eſſet refrigerio, & ſuo ſplendenti candore eidem ſimul eſſet ornamento. Quam ſponſa Chriſti candida, & rubicunda per loca publica glorioſa incedens, verè de tyranno triumphans, omnibus viſa fuit admirabilis, & ſpecioſa! Fremebat Dacianus infractum videns animum virginis; & iam quaſi de

vi-

victoria deſperans, eam cruci affigi imperat. Verum in Cruce pendens Eulalia, cœleſti recreatur gaudio, quod ſe cruci affixam, Chriſtoque ſimillimam videt. Neque ibidem, omnium admiratione, Deum glorificare ceſſat. Denique iubente Præſide, pridie idus Februarij ſecuri percutitur, & geminata martyrij, atque virginitatis corona, nobile certamen exegit. Cuius anima ad inſtar columbæ è corpore egrediens, cœlum á multis viſa eſt conſcendere. Corpus verò à Chriſtianis honorificè extra Barcinonis vrbis mœnia ſepelitur.

℟. Afferentur regi virgines poſt eam, proximæ eius: * Afferentur tibi in lætitia & exultatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel. Simile erit regnum Cœlorum decem Virginibus. *de Communi Virginum.*

In Quadrageſ. nona Lectio de Homilia, & Commemor. Feriæ.

Miſſa de Communi. Loquebar. *Oratio.* Deus, qui nos *vt ſuprà.*

DIE I. MARTIJ.

In feſto S. Rudeſindi Epiſcopi & Confeſſoris Patroni Eccleſiæ. & Diœceſis Mindonenſis. Officium Duplex.

Omnia de Communi Confeſſ. Pontific. præter ea, quæ hic aſſignantur propria.

Oratio.

PRopitiare, quæſumus Domine, nobis famulis tuis per ſancti Confeſſoris tui, atque Pontificis Rudeſindi merita glorioſa: vt eius pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur adverſis. Per Dominum.

In primo Nocturno in Ciuitate, & Diœceſi Mindonenſi Lectiones de Epiſt. 1. *B. Paul. Apoſt. ad Timotheum.* Fidelis Sermo.

Extra Mindon. ſi celebretur in Quadrageſima eadem Lectio. Si ante Quadrageſimam de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

RUdeſindus, natione Gallaicus, parentibus Regij generis Guterrio, & Ilduara, qualis eſſet futurus, eius conceptio ſatis oſtendit. Multis enim, ac largis in pauperes eleemoſynis, orationibus, & lachrymis cum vacaret Ilduara, ab Angelo præmonita eſt, ſe concepturam filium qui, & apud Deum magni futurus eſſet meriti, & apud homines præcipuo Sanctitatis nomine. Pridie igitur ſolemnitatis Sanctorum martyrum Facundi, & Primitiui Rudeſindum peperit. Qui dies propterea ſemper illis ſacer, ac feſtivus, quandiù vixerunt, fuit; conſtruxit prætereà Ilduara in honorem Archangeli

Mi-

Michaelis Eccleſiam eo loco, vbi ab Angelo certior facta eſt ſe concepturam.

℟. Inveni David.

Lectio v.

RUdeſindus itaque ab ipſa pueritia Domini legem meditans, brevi admodum in virum Apoſtolicum crevit. Qua propter ab Eccleſiæ Mindonienſis Clero, magno omnium conſenſu Epiſcopus eligitur, Rege, atque Proceribus mirè gaudentibus: nota enim illis erat Rudeſindi ſanctitas, & eruditio. Præſul ergo Mindonienſis factus multis virtutibus claruit. Splenduére certè in Rudeſindo præter cæteras dotes, profuſſæ in pauperes eleemoſynæ, Eccleſiarum, aut iam dirutarum, aut ruinam minantium inſtauratio, aut nouarum conſtructio, atque Euangelicæ doctrinæ frequentiſſima prædicatio. Aſſumptus deinde vrgente Rege, ac populo ad regendum Irienſem Epiſcopatum, vbi tunc Apoſtoli Iacobi corpus conditum erat, maiore in dies fructu Chriſtiano populo præerat. Denique inſigne Monachorum Cœnobium in proprijs condidit prædijs, quæ illi ampliſſima, & opulentiſſima parentum teſtamento contigerant.

℟. Poſuit adiutorium.

Lectio vj.

NOmen Cœnobio Cellanova, quod religione, & auguſta ſtructura etiam hodie ampliſſimum eſt, in quo monaſticam ſub B. Benedicti regula vitam annos aliquot agens, migrauit ad Dominum Kalendis Martij, editis multis in vita, & poſt obitum miraculis. Eius corpus vſque ad hodiernum diem in eodem Cœnobio quieſcit, ac magna præcipuè Gallaicorum, & Luſitanorum frequentia ſemper inviſitur. Claruit ſanctus Rudeſindus anno Domini nongenteſimo trigeſimo & ſequentibus: quem Cœleſtinus Tertius, dum in minoribus eſſet, à terra leuauit, deinde Pontifex factus in ſanctorum catalogum retulit anno ſalutis milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto.

℟. Iſte eſt.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium. Sint lumbi veſtri præcincti. *De Communi Conf. non Pontif.*

Miſſa: Statuit, *de Communi Confeſſ. Pontif. cum oratione, & Euangelio ſupradictis.*

DIE VIIJ. MARTIJ.

In feſto S. Ioannis de Deo Confeſſoris, & Ordinis Hoſpitalitatis Fundatoris. Semiduplex.

A Sacr. Rituum Congregat. approbatum, & extenſum, pro Regnis Hiſpaniarum, & Luſitaniæ tantùm, ſub ritu Semiduplici. Die 4. *Ianuarij* 1698.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontificis, præter ea, quæ hic ponuntur.

Ora-

DEus, qui beatum Ioannem, tuo amore ſuccenſum inter flammas innoxium incedere feciſti, & per eum Eccleſiam tuam noua prole fecundaſti: præſta, ipſius ſuffragantibus meritis, vt igne charitatis tuæ vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proueniant. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de libro Eccleſiaſtici: Beatus vir, *de Communi Confeſſ. non Pontif. ſecundo loco.*

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

IOannes de Deo ex Catholicis, pijſque parentibus in Oppido Montis Maioris Iunioris Regni Luſitaniæ natus, quàm ſublimiter in ſortem domini fuerit electus, inſuetus ſplendor ſuper eius Domo refulgens, ſonituſque æris campani ſua ſponte emiſſus ab ipſo eius natiuitatis tempore non obſcurè prænuntiarunt. A laxiori viuendi ratione, Diuina operante virtute reuocatus, magnæ ſanctitatis exhibere ſpecimen cœpit, & ob auditam prædicationem verbi Dei ſic ad meliora ſe excitatum ſenſit, vt iam ab ipſo Sanctioris vitæ rudimento conſummatum aliquid, perfectumque viſus ſit attrigiſſe. Bonis omnibus in pauperes carceribus incluſos erogatis, admirabilis pœnitentiæ, ſuique ipſius contemptus cuncto populo ſpectaculum factus, á pleriſque ceu demens grauiter afflictus, in carcerem amentibus deſtinatum conijcitur. At Ioannes cœleſti charitate magis incenſus, gemino, atque amplo valetudinario ex piorum eleemoſynis in Ciuitate Granatenſi extructo, iactoq; ſui Ordinis fundamento Eccleſiam noua prole fœcundauit Fratrum Hoſpitalitatis, infirmis præclaro animarum, corporumque profectu inſeruientium, & longè lateque per orbem diffuſorum.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & á ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio. v.

PAuperibus ægrotis, quos proprijs, quandoque humeris domum deferebat, nulla in re ad animæ corporiſque ſalutem proficua deerat. Effuſa quoque extra noſocomium charitate indigentibus mulieribus viduis, & præcipuè virginibus periclitantibus clàm alimenta ſubminiſtrabat, curamque indefeſam adhibebat, vt carnis concupiſcentiam á proximis huiuſmodi vitio inquinatis exterminaret. Cùm autem maximum in regio Granatenſi valetudinario excitatum fuiſſet incendium, Ioannes impauidus proſilijt in ignem, huc illuc diſcurrens, donec tùm infirmos humeris exportatos, tum lectulos è feneſtris

neſtris proiectos ab igne vindicauit, ac per dimidiam horam inter flammas iam in immenſum ſucreſcentes verſatus exindè diuinitùs incolumis, vniuerſis ciuibus admirantibus exiuit, in ſchola charitatis edocens, ſegniorem in eum fuiſſe ignem, qui foris vſſerat, quàm qui intus accenderat.

℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradiſi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

MVltiplici aſperitatum genere, demiſiſſima obedientia, extrema paupertate, orandi ſtudio rerum diuinarum contemplatione, ac in Beatam Virginem pietate mirificè excelluit, & lacrymarum dono enituit. Deniquegraui morbo correptus, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè, Sanctèque refectus, viribus licèt deſtitutus, proprijs indutus veſtibus è lectulo ſurgens; ac prouolutus in genua, manu & corde Chriſtum Dominum è Cruce pendentem perſtringens, octauo Idus Martij, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo obijt in oſculo Domini, quem etiam motuus tenuit, nec dimiſit, & in eadem corporis conſtitutione odorem mirè fragrantem diffundens ſex circiter horas, quovſque indè dimotus fuiſſet, tota Ciuitate inſpectante, mirabiliter permanſit; quem antè & poſt obitum plurimis miraculis clarum Alexander Octavus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mũdi, & peruenit ad cœleſtia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 22.*

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi, & interrogavit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magiſter: quod eſt mandatum magnum in lege? Et reliqua.

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 72. in Math.

SAdducæis confuſis, Phariſæi rurſús aggrediuntur: cumq; quieſcere oporteret, decertare voluerunt; & Legis peritiam profitentem præmittunt, non diſcere, ſed tentare cupientes: ac ità interrogant: Quodnam primum mandatum in Lege ſit. Nã cùm primum illud ſit, Diliges Dominum Deum tuum: putantes cauſas ſibi allaturum ad mandatum hoc corrigendum, aliquid addendo, quoniam Deum ſe faciebat, hoc modo interrogant:

Quid igitur Chriſtus? vt oſtendat idcirco ad hæc eos deueniſſe, quia nulla in eis eſſet charitas, ſed inuidiæ liuore tabeſcerent: Diliges inquit, Dominum Deum tuum: hoc primum, & magnum mandatum eſt. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & de omni corde ſuo laudauit Dominum: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat.

Lectio viij.

QVamobrem ſimile eſt huic? quoniam hoc illud inducit, & ab illo rurſus munitur. Quicumque enim malè agit, odio habet lucem, & non venit ad lucem. Et rurſus: Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Deinde ſequitur: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis. Et iterum: Radix omnium malorum auaritia eſt: quam quidam appetentes, errauerunt à fide. Et, qui diligit me, mandata mea ſervabit, quorum caput, & radix eſt, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut te ipſum.

℟. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris * Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuũ, quando reuertatur à nuptijs. ℣. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

SI ergo diligere Deum, diligere proximum eſt (nam ſi diligis me, ò Petre, inquit, paſce oues meas:) ſi etiam dilectio proximi facit vt mandata cuſtodias: meritò ait in his totam Legem, & Prophetas pendere. Et quemadmodum in ſuperioribus cum de reſurrectione interrogaretur, plus docuit, quam tentantes petebant: Sic in hoc loco de primo interrogatus mandato, ſecundum etiam non valdè, quam primum inferius, ſpontè attulit: ſecundùm enim eſt primo ſimile. Ita occultè inſinuauit, odio illos ad quærendum incitari. Charitas enim, inquit, non æmulatur. Te Deum laudamus.

Si hoc feſtum venerit in Quadrageſima, nona lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea ſit commemoratio.

Miſſa: Iuſtus vt palma, *de Communi Confeſſoris non Pontificis ſecundo loco, cum Oratione propria, & Euangelio ſupradictis.*

DIE III. MARTIJ.

In feſto Sanctorum Hemetherij, & Celedonij Martyr. Duplex in Hiſpania.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter ea quæ ſequuntur.

AD VESPERAS.

Hymnus.

SCripta ſunt cœlo duorum
Martyrum vocabula,
Aureis quæ Chriſtus illic
Annotauit litteris,
Sanguinis notis, & idem
Scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem
Terra Ibera ſtemmate:
Hic locus dignus tenendis
Oſſibus viſus Deo,
Qui beatorum pudicus
Eſſet hoſpes corporum.
Hic calentes hauſit vndas
Cæde tinctus duplici:
Illitas cruore ſancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant, obſecrantes,
Voce, votis, munere.
Nemo puras hic rogando
Fruſtra congeſſit preces:
Lætus hinc terſis reverſit
Supplicator fletibus:
Omne, quod iuſtum popoſcit
Impetratum ſentiens.
Sempiterna ſit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Vnius Trinique nomen
Laudet vniuerſitas. Amen.

Oratio.

DEus, qui glorioſos martyres Hemetherium, & Celedonium in tui nominis confeſſione roboraſti: concede propitius; vt quorum corpora veneramur in terris, eorum aſpectu perfruamur in Cœlis. Per Dominum noſtrum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ſi veniat in Quadrageſima.

AD MATVTINUM.

Hymnus.

FOrtè tunc atrox, ſecundos
Iſraëlis poſteros,
Ductor aulæ mundialis,
Ire ad aram iuſſerat:
Idolis litare nigris,
Eſſe Chriſti deſugas.
Hic duorum chara fratrum
Concaleſcunt pectora,
Fida quos per omne tempus,
Iunxerat ſodalitas:
Stant parati, ferre, quidquid
Sors tuliſſet vltima.
Seu forte præbenda ceruix
Ad bippenem publicam:
Verberum poſt vim crepantũ
Poſt cataſtas igneas,
Siue pardis offerendum
Pectus, aut leonibus.
Nonne Chriſto pro creati
Mammonæ dicabimur,
Et Dei formam gerentes
Seruiemus ſæculo?
Abſit, vt cœleſtis ignis
Se tenebris miſceat.
Hæc loquentes obruuntur
Mille pœnis martyres:
Nexibus manus vtraſque
Flexus inuoluit rigor:
Et calybs attrita colla
Grauibus ambit circlis.
Sempiterna ſit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Vnius Trinique nomen

Laudet vniuerſitas.
Amen.

In primo Noctur Lectiones de Scriptura ocurrente.

Si autem celebretur in Quadrageſima: Fratres, Debitores ſumus. *vt in Communi plurimorum Martyrum.*

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

HEmetherius, & Celedonius fratres Legionenſes Marcelli Centurionis martyris filij, aliorumque inſignium Martyrum, qui diuerſis temporibus, & locis pro Chriſto paſſi ſunt, germani fratres, poſtquam diu, fortiterque ſub Romanis vexillis meruerunt, mota in Chriſtianos ſæuiſſima perſecutione, paribus votis, conſtantique animo ſemet inuicem adhortantes, decreuerunt, relictis Gentilium caſtris, ad Chriſti militiam tranſire. Ardore itaque Fidei ſuccenſi, dum alij veræ Fidei cultores in tentatione deficiebant, illi ad martyrium properarunt: ſcientes ita animam ſeruari, dum perditur, ſanguinem ſacrari dum funditur: & acceptis, non inflictis vulneribus Chriſtianam parari victoriam.

℟. Sancti tui Domine mirabile conſecuti ſunt iter, ſeruientes præceptis tuis, vt inuenirentur illæſi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in Mari rubro via ſine impedimento. ℣. Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Terra apparuit.

Lectio v.

CHriſtum itaque palam profeſſi, & inanium deorum ſimulacra deteſtati, Deum verum liberè prædicare cœperunt. Quare ad militum tribunal rapti, inde grauibus catenis onuſti, in tenebricoſum, fœdumque carcerem protrahuntur; vbi multis ærumnis macerati, cum nullis artibus, ſiue verborum blanditijs, ſiue beneficiorum promiſſis, ſæpiuſve repetitis ſupplicijs à ſancto propoſito dimoueri potuiſſent, varijs cruciantur tormentorum generibus, quæ vel ipſum tyrannum puduit publicari: ſeuero quippè prohibuit edicto, geſta ſacrorum virorum, ſiue quas paſſi ſunt pœnas, ſiue quæ patrarunt miracula in apertum produci. Et ſi vero Gentilium verſutia glorioſi agonis memoriam tentarit abolere, Chriſtianorum nihilominus pietas ſtuduit conſeruare.

℟. Verbera carnificum non timuerunt ſancti Dei, morientes pro Chriſti nomine: * Vt hęredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia. Vt heredes.

Lectio vj.

ILlud vero in primis memorabile, quos lata in eos capitis ſententia, vbi ad ſupplicij locum peruenerunt, antequam lictoris ictum exciperent, ſuæ

Fi-

Fidei pignora eo præmiſſerunt, quo mox ipſi erant perventuri. Primus annulum, ſecundus orarium in altum proiecerunt, quæ lenis auræ obſequio, ſplendeſcente auro, & candente linteo, cunctis intuentibus, ad Cœlos euecta ſunt. Vidit hæc ipſe carnifex, qui manum repreſſit hærens, & ſtupens; ſed demum ictum peregit, ne periret Martyrum triumphus. Securi percuſſi iuxta Ciuitatem Calagurritanam propè torrentem Arenalis tertio Nonas Martij, ibidem ſepulti ſunt. Vnde poſteà translati ad Eccleſiam Cathedralem pridie Kalendas Septembris, eo translationis die, tamquam Patroni miraculis illuſtres, præcipua coluntur veneratione.

℟. Tamquam aurum in fornace probauit electos Dominus, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos: & in tempore erit reſpectus illorum: * Quoniam donum & pax eſt electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium. Cum audieritis prælia. de eodem Communi.

℟. *viij.* Hæc eſt vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine qui effuſo ſanguine ſecuti ſunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna Cœleſtia.

℣. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Contemnentes. Gloria Patri. Contemnentes.

Nona Lectio dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit Commemorat. in Laudibus ſi celebretur in Quadrageſima.

AD LAVDES.

Hymnus.

ILlà laus occulta non eſt,
Nec ſeneſcet tempore:
Miſſa quod ſurſum per auras
Euolarunt munera,
Quæ viam patere cœli,
Præmicando oſtenderent.
Illius fidem figurans,
Nube fertur annullus:
Hic ſui dat pignus oris,
Vt ferunt, orarium,
Quæ ſuperno rapta flatu,
Lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem
Fulgor auri abſconditur,
Ac diu viſum ſequacem
Textilis candor fugit;
Subuehuntur vſque in aſtra,
Nec videntur amplius.
Vidit hoc conuentus adſtans,
Ipſe vidit carnifex,
Et manum repreſſit hærens,
Ac ſtupore oppaluit;
Sed tamen peregit ictum,
Ne periret gloria.
Hoc bonum Saluator ipſe,
Quo fruamur, præſtitit,
Martyrũ cum membra noſtro
Conſecrauit oppido:
Soſpitent quæ nunc colonos,

Quos Iberus alluit.
Sempiterna ſit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Vnius Trinique nomen
Laudet vniuerſitas. Amen.

In ſecundis veſperis fit Commemoratio ſancti Caſimiri Confeſſor. & Feriæ, ſi veniat in Quadrageſima.

Deinde S. Lucij Papæ, & mart. *Miſſa*: Intret in conſpectu tuo. *de Communi plurimorum Martyr. Oratio propr. Graduale, & Tractus ſicut in feſto Ss. Quadraginta Martyrum die* 10. *Martij.*

DIE XVIJ. MARTIJ.

In feſto ſancti Patritij Epiſcopi, & Confeſ. Semidup. ex de præcepto.

Omnia de Communi Confeſſ. Pontif. præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

DEus, qui ad prædicandam Gentibus gloriam tuam, beatum Patritium Confeſſorem atque Pontificem mittere dignatus es: eius meritis & interceſſione concede; vt quæ nobis agenda præcipis, te miſerante adimplere poſſimus. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones: Fidelis Sermo. *de Communi Confeſſor. Pontif.*

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

PAtritius, Hiberniæ dictus Apoſtolus, Calphurnio patre, matre Concheſſa, ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi, vt perhibent, conſanguinea, maiori in Britannia natus, puer in Barbarorum ſæpius incidit captiuitatem. Eo in ſtatu paſcendis gregibus præpoſitus, iam tum futuræ ſanctitatis ſpecimen præbuit; Fidei namque, diuinique timoris, & amoris ſpiritu repletus, antelucano tempore per niues, gelu, ac pluuias, ad preces Deo fundendas, impiger conſurgebat, ſolitus centies interdiu, centieſque noctu Deum orare. A ſeruitute tertio exemptus, & inter Clericos relatus, in diuinis lectionibus longo ſe tempore exercuit. Gallijs, Italia, Inſuliſque Tyrrheni maris labore ſummo peragratis, diuino tandem monitu ad Hibernorum ſalutem aduocatur; & facta à beato Cœleſtino Papa Euangelij nuntiandi poteſtate, conſecratuſque Epiſcopus, in Hiberniam perrexit.

℟. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

EO in munere mirum quot vir Apoſtolicus mala, quot ærumnas & labores, quot pertulerit

lerit aduerſarios. Verum Dei afflante benignitate, terra illa, idolorum antea cultrix, eum mox prædicante Patritio fructum dedit, vt Sanctorum inſula deinde fuerit appellata. Frequentiſſimè ab eo populi ſacro ſunt regenerati lauacro; Epiſcopi, Clericique plurimi ordinati, virgines, ac viduæ ad continentiæ leges inſtitutæ. Armachanam Sedem, Romani Pontificis auctoritate, totius Inſulæ Principem Metropolim conſtituit, Sanctorumque reliquijs ab Vrbe relatis decorauit. Supernis viſionibus, Prophetiæ dono, ingentibuſque ſignis & prodigijs à Deo exornatus adeò refulſit, vt longè, lateque celebrior Patritij ſe fama diffuderit.

℟. Poſui adiutorium ſuper potentem, & exaltaui electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inueni Dauid ſervum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus.

Lectio vj.

PRæter quotidianam Eccleſiarum ſolicitudinem, inuictum ab oratione ſpiritum numquam relaxabat. Aiunt enim, integrum quotidie Pſalterium, vnà cum Canticis & Hymnis, ducentiſque Orationibus, conſueuiſſe recitare; tercenties per dies ſingulos flexis genibus Deum adorare, ac in qualibet Hora diei Canonica centies ſe Crucis ſigno munire. Noctem tria in ſpatia diſtribuens, primum in centum Pſalmis percurrendis, & bis centies genuflectendo; alterum in reliquis quinquaginta Pſalmis, algidis aquis immerſus, ac corde, oculis, manibuſque ad cœlum erectus, abſolvendis inſumebat; tertium verò ſuper nudum lapidem ſtratus tenui dabat quieti. Humilitatis eximius cultor, Apoſtolico more, à manuum ſuarum labore non abſtinuit. Aſſiduis tandem curis pro Eccleſia conſumptus, verbo & opere clarus, in extrema ſenectute, diuinis Myſterijs refectus, obdormiuit in Domino, ſepultuſque eſt apud Dunum in Vltonia á Chriſtiana ſalute ſæculo quinto.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina eius repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna. Ipſe intercedat. Gloria Patri. Ipſe.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euang. Homo peregrè proficiſcens. *de Communi Confeſ. Pontificis.*

Et nona Lectio dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit commemor. in Laudib.

Miſſa: Statuit ei Dominus, *de eodem Communi, cùm prima Oratione propria, vt in Officio.*

DIE

DIE XVIIJ. MARTIJ.

In feſto ſancti Gabrielis Archangeli. Duplex maius.

In omnibus Regnis ac Dominijs Catholico Hiſpaniarum Regi ſubiectis recitandum ex conceſſione Sacræ Rituum Congregat. die 17. *Iunij* 1684.

Si celebretur in Quadrageſima, fit commemorat. & dicitur nona Lectio Feriæ occurrentis.

Si vero celebretur poſt Paſcha, additur Alleluia, *& Pſalmi Nocturnorum dicuntur ſub prima Antiphona illius Nocturni.*

AD VESPERAS.

Aña. Ingreſſo Zacharia. *cum reliquis de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica: & loco vltimi Pſalmus.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Dan.* 9.

Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me: & locutus eſt mihi, & dixit: Daniel, nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres.

Hymnus.

Chriſte, ſanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator & Redemptor,
Cœlitũ nobis tribuas beatas.
Scandere ſedes.

Angelus pacis Michaël in ædes
Cœlitus noſtras veniat: ſerenę
Auctor vt pacis lachrymoſa in orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, vt hoſtes
Pellat antiquos, & amica cœlo,
Quæ triumphator ſtatuit per orbem,
Templa reuiſat.

Angelus noſtræ medicus ſalutis
Adſit è cœlo Raphaël, vt omnes
Sanet ægrotos, dubioſque vitæ
Dirigat actus.

Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis,
Et ſacer nobis chorus Angelorum
Semper aſſiſtat, ſimul & micantis
Regia cœli.

Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque ſancti
Spiritus, cuius reſonat per omnem
Gloria mundum. Amẽ.

℣. Stetit Angelus iuxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu ſua.

Ad Magnificat. Aña.

Ingreſſus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

Oratio.

Deus, qui inter cœteros Angelos, ad annuntiandum Incarnationis tuæ myſterium,

rium, Gabrielem Archangelum elegiſti: concede propitius; vt qui feſtum eius celebramus in terris, ipſius patrocinium ſentiamus in cęlis. Qui viuis & regnas.

Et ſit commemorat. Feriæ, ſi celebretur in Quadrageſima.

Ad Matutinum. Inuitatorium. Regem Archangelorum Dominum. * Venite adoremus. *Pſalmus.* Venite, exultemus. *Hymnus.* Chriſte, ſanctorum. *vt ſuprà in Veſperis.*

In primo Nocturno.

Aña. Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur viſio. *Pſalm.* Domine Dominus noſter. *cum reliquis vt in feſto ſancti Michaëlis Archangeli.* *Aña.* Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me. *Pſalm.* In Domino confido. *Aña.* Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapſus ſum pronus in terram; & tetigit me, & ſtatuit me in gradu meo. *Pſalm.* Domine, quis habitabit. ℣. Stetit Angelus iuxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu ſua.

Ex Daniele Propheta.

Lectio j. *Cap. 6. e*

EGo Daniel, cùm adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael, & proſternerem preces meas in conſpectu Dei mei, pro monte ſancto Dei mei: ecce vir Gabriel, quem videram in viſione á principio, citó volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixitque: Daniel nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es. tu ergo animadverte ſermonem, & intellige viſionem.

℟. Cùm oraret Daniël, & confiteretur peccata ſua, & peccata populi ſui, * Ecce Archangelus Gabriel citò volans tetigit eum in tempore ſacrificij veſpertini. ℣. Cumque proſterneret preces ſuas in conſpectu Dei ſui. Ecce Archangelus.

Lectio ij.

SEptuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum.

℟.

℞. Locutus eſt Gabriel Danieli, & dixit: Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo. * Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es. ℣. Tu autem animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. Ego autem veni.

Lectio iij.

ET poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt: & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.

℞. Ecce vir Gabriel, quem videram, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me, & dixit: * Daniël, nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres. ℣. Gabriel fac me intelligere iſtam viſionem: & venit, & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam, & ait ad me. Daniël. Gloria Patri. Daniël.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. *Pſalm.* Cœli enarrant. *Aña.* Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis. *Pſalm.* Domini eſt terra. *Aña.* Reſpondens autem Angelus, dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. *Pſalm.* Benedicam Dominum.

℣. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini. ℞. De manu Angeli.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.
Ex Homilia de Laudib. Virginis, ſuper Miſſus eſt.

Lectio iiij.

MIſſus eſt Angelus Gabriel â Deo. Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa creba ſoleant ad terras fungi legatione. Quod ex eius nomine palam intelligi datur, quod interpretatum, Fortitudo Dei dicitur: & quia non ab aliquo alio forte excellentiore ſe (vt aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo poſitum eſt, à Deo. Vel ideò dictum eſt, á Deo; ne cui, vel beatorum ſpirituum ſuum Deus antequam Virgini reuelaſſe putetur conſilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele. Qui vtique tantæ inter ſuos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali, & nomine dignus haberetur, & nuntio.

℞. Factum eſt cum Sacerdotio fun-

fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum, * Apparuit ei Angelus Gabriel, ſtans à dextris altaris incenſi. ℣. Cumque ingreſſus in templum Domini, incenſum poneret ſecundúm conſuetudinem Sacerdotij ſui. Apparuit ei.

Lectio v.

NEc diſcordat nomen à nuntio: Dei quippè virtutem Chriſtum, quem melius nũtiare decebat, quàm hunc, quem ſimile nomen honorat? Nunquid eſt aliud fortitudo, quàm virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, Dominum, & nuntium communi cenſeri vocabulo: cum ſimilis in vtroque appellationis, non ſit tamen vtriuſque ſimilis cauſa. Aliter quippè Chriſtus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantùm nuncupatiuè, Chriſtus autem etiam ſubſtantiuè.

℟. Deſcendit Gabriel Angelus ad Zachariam, dicens: * Ne timeas, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.

℣. Et Zacharias turbatus eſt vidés, & timor irruit ſuper eum: ait autem ad illum Angelus. Ne timeas.

Lectio vj.

CHriſtus Dei virtus & dicitur, & eſt: qui forti armato, qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat, fortior ſuperueniens, ipſum ſuo brachio debellauit: & ſic ei vaſa captiuitatis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus eſt; vel quod huiuſcemodi meruerit prærogatiuam officij, quo eiuſdem nuntiaret aduentum virtutis: vel quia Virginem natura pauidam, ſimplicem, verecundam, nè miraculi nouitate expaueſceret, confortare deberet: quod & fecit, Ne timeas, inquiens, Maria: inueniſti enim gratiam apud Deum. Conuenienter itaque Gabriel, ad hoc opus eligitur: immo quia tale illi negotium iniungitur, rectè tali nomine deſignatur.

℟. Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc euangelizare: * Ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant. ℣. Pro eo quod non crediſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo. Ecce eris tacens. Gloria Patri. Ecce eris.

In tertio Nocturno.

Aña. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph. *Pſalm.* Cantate Domino. *j. Aña.* Gabriel Angelus Mariæ dixit: Ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. *Pſalmus.* Dominus regnauit, exultet. *Aña.* Suſcipe Verbũ Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum

gelum Gabrielem transmiſſum eſt. *Pſalm.* Benedic anima mea. Domino.

℣. In conſpectu Angelorum ſpallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid: & nomen Uirginis Maria. Et reliqua.

Homilia ſancti Iuliani Archiepiſcopi Toletani.

Lib. 2. contra Iudæos, ſtatim poſt principium.

SAcramentum illud ſeptuaginta hebdomadarum de Chriſti natiuitate Daniël per Angelum didicit: ſimiliter & Zacharias, apparente ſibi Angelo, Ioannem filium de ſe generandum audiuit: & Maria, Angelo ſibi prædicenti Chriſtum ex ſe naſcendum, & credidit, & aſſenſit. Hæc tria per Angelum dicta, & completa vidèmus. Iam ergo ſolicitè intuendum eſt, vtrùm Angelus iſte, qui Zachariæ, & Mariæ apparuit, ipſi quoque Daniël illa prædixerit.

℟. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph: & expaueſcit Virgo de lumine: * Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies, & paries, & vocabitur Altiſſimi filius. ℣. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio: & ait Angelus ei. Ne timeas Maria.

Lectio viij.

EQuidem ipſe Daniël in prophetiæ ſuæ volumine, quando illa ſacramenta hebdomadarum de Chriſti natiuitate per Angelum futura cognouit, ſic ipſius Angeli nomen euidenter expreſſit. Dicit enim: Ecce vir Gabriel, quem videram in principio, citò volans tetigit me, & dixit: Daniël, animaduerte ſermonem, & reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his temporibus ſecundum Euangelium, Angeli ipſius nomen mirificum ſic inuenitur expreſſum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

℟. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti: * Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidiſti, dum virgo Deum & hominem genuiſti, & poſt partum virgo inuiolata permanſiſti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: * Quæ Gabrielis. Gloria Patri. Quæ Gabrielis.

Nona

Nona Lectio de Homilia Feriæ occurrentis, niſi transferatur poſt Octauam Paſchæ, quia tunc dicitur.

Lectio xj.

QVod etiam de beatæ Mariæ Virginis partu ſic in eodem Euangelio legitur: Miſſus eſt, inquit, Angelus Gabriel á Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Iam ergo manifeſtum eſt, quod vnus idemque Angelus Gabriel fuerit, qui & præfixa illa tempora Danieli de Chriſti natiuitate aperuit, & partum Virginis præſentem eſſe monſtravit. Ad tempus itaque præfinitum occurrit, & olim à ſe dicta operis efficientia completa eſſe conuicit: & illic fidelis in prophetia hebdomadarum, & hic fidelis per myſterium reuelatum.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES.

& per Horas. Aña.

INgreſſo Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus, ſtans á dextris altaris incenſi. *Pſalm.* Dominus regnauit, decorem. *cum reliquis.* *Aña.* Ait autem Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua. *Aña.* Ego ſum Gabriel Angelus, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te. *Aña.* Gabriel Angelus locutus eſt Mariæ, dicens: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. *Aña.* Dixit autem Maria ad Angelum; Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Gabriel Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

Capitulum. *Dan. 9.*

ECce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me: & locutus eſt mihi, & dixit: Daniel, nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres.

Hymnus.

PLacare, Chriſte, ſeruulis,
quibus Patris clementiam
Tuæ ad Tribunal gratiæ
Patrona Virgo poſtulat.
Et vos beata, per nouem
Diſtincta gyros, Agmina,
Antiqua cum præſentibus,
Futura damna pellite.
Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus;
Vt vnus omnes vnicum
Ouile nos Paſtor regat.
Deo Patri ſit gloria,
Natoque Patris vnico,
Sancto ſimul Paraclyto,
In ſempiterna ſæcula.
Amen.

℣. Ste-

℣. Stetit Angelus iuxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu ſua.

Ad Benedictus, Aña.

Gabriel Angelus deſcendit ad Zachariam, & ait illi: Vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & multi in natiuitate eius gaudebunt: ipſe enim præbit ante faciem Domini parare vias eius.

Oratio.

DEus, qui inter cœteros Angelus ad annuntiandum Incarnationis tuæ myſterium, Gabrielem Archangelum elegiſti: concede propitius; vt qui feſtum eius celebramus in terris, ipſius patrocinium ſentiamus in cælis. Qui viuis, & regnas.

Et fit Commemorat. Feriæ, ſi celebretur in Quadrageſima.

Ad Tertiam. Aña. Ait autem. *Capitulum.* Ecce vir Gabriel. *vt ſuprà in Laudibus.*

℟. *breu.* Stetit Angelus, * Iuxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu ſua. Iuxta. Gloria Patri. Stetit. ℣. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Ad Sextam. Aña. Ego ſum Gabriel.

Capitulum. Dan. 9.

EGo autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt, vt finem accipiat peccatum, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum.

℟. *breu.* Aſcendit fumus aromatum: * In conſpectu Domini. Aſcendit. ℣. De manu Angeli. In conſpectu. Gloria Patri. Aſcendit. ℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Nonam. Aña. Dixit autem Maria.

Capitulum. Dan. 9.

SCito ergo, & animaduerte ad exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.

℟. *breu.* In conſpectu Angelorum: * Pſallam tibi Deus meus. In conſpectu. ℣. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Pſallam tibi. Gloria Patri. In conſpectu.

℣. Adorate Deum.

℟. Omnes Angeli eius.

Veſperæ de ſancto Ioſeph Confeſſore, cum commemorat. ſancti Gabrielis.

Aña. Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab ea Angelus. ℣. In conſ-

pectu

pectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Oratio.

DEus, qui inter cœteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuæ myſterium, Gabrielem Archangelum elegiſti: concede propitius; vt qui feſtum eius celebramus in terris, ipſius patrocinium ſentiamus in cœlis. Qui viuis, & regnas.

Et fit Commemorat. Feriæ, ſi celebretur in Quadrageſima.

Si hoc feſtum, vel ſancti Ioſeph transferatur, in ſecundis Veſperis omnia dicuntur vt in primis ſed loco vltimi, Pſalm.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti. ℣ & Aña, ad Magnif. vt ſup.

DIE XIX. MARTIJ.

In feſto ſancti Ioſeph Confeſſor.

Duplex ſecundæ Claſſis.

Omnia vt in Breviario Romano, præter ea quæ hic habentur propria.

Capitulum. *Eccl. 31.*

BEatus vir, qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.

In vtriuſque Veſp. *Hymnus.*

TE, Ioſeph, celebrent agmina Cœlitum,
Te cuncti reſonent Chriſtiadum chori,
Qui clarus meritis iunctus es inclytæ
Caſto fœdere Virgini.

Almo cum tumidam germine coniugem,
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu ſuperi Flaminis Angelus.
Conceptum puerum docet.

Tu natum Dominum ſtringis, ad exteras
Ægypti profugum tu ſequeris plagas;
Amiſſum Solymis quæris, & inuenis,
Miſcens gaudia fletibus.

Poſt mortem reliquos mors pia conſecrat,
Palmamque emeritos gloria ſuſcipit:
Tu viuens, ſuperis par, frueris Deo,
Mira ſorte beatior.

Nobis, ſumma Trias, parce precantibus,
Da Ioſeph meritis ſidera ſcandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

℣. Os iuſti meditabitur ſapientiam. ℟. Et lingua eius loquetur iudicium.

Ad

Ad Magnificat pro primis Veſperis. Aña.

IOſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum. *Oratio.*

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adiuuemur: vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Qui viuis, & regnas.

AD MATVTINVM.

Hymnus.

CÆlitum Ioſeph decus, atque noſtræ
Certa ſpes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus benignus
Suſcipe laudes.

Te Sator rerum ſtatuit pudicæ
Virginis ſponſum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit & miniſtrum
Eſſe ſalutis.

Tu Redemptorem ſtabulo iacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aſpicis gaudens, humiliſque natum
Numen adoras.

Rex Deus Regum Dominator Orbis,
Cuius ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur Æter,
Se tibi ſubdit.

Laus ſit excelſæ Triadi perennis
Quæ tibi præbens ſuperos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

AD LAVDES.

Capitulum. Beatus vir. *vt ſupra.*

Hymnus.

ISte, quem læti colimus fideles,
Cuius excelſos canimus triũphos,
Hac die, Ioſeph meruit perennis
Gaudia vitæ.

O nimis felix, nimis, ò beatus,
Cuius extremam vigiles ad horam
Chriſtus & Virgo ſimul aſtiterunt
Ore ſereno.

Hinc ſtygis victor, laqueo ſolutus
Carnis, ad ſedes placido ſopore
Migrat æternas, rutiliſque cingit
Tempora ſertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adſit vt nobis, veniamque noſtris
Obtinens culpis, tribuat ſupernæ
Munera pacis.

Sint tibi plauſus, tibi ſint honores,

Trine, qui regnas, Deus: & coronas
Aureas ſervo tribuis fideli
Omne per æuum.
Amen.

℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus. Aña.

ANgelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſraël, defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.

In ſecundis Veſperis.

℣. Iuſtus vt palma florebit.
℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnificat, Aña.

MIſſus eſt Angelus Gabriel ad Uirginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.

OFFICIVM SEPTEM *Dolorum beatæ Mariæ Virg.*

Duplex maius.

In omnibus Hiſpaniar. Regnis celebrandum Fer. ſexta poſt Dominicam Paſſionis, ex conceſſione Clementis Decimi.

Si prædicta Feria ſexta impedita fuerit alio feſto Duplici primæ vel ſecundæ Claſſis; Feſtum Septem Dolorum beatæ Mariæ Virginis transferatur ad Sabbatum immediatum; quod ſi ſit impeditum alio feſto nouem Lectionum, illo anno omittatur feſtum Septem Dolorum, ita vt numquam transferatur ad tempus Paſchale.

Si in primis vel ſecundis Veſperis concurrat cum feſto Annuntiationis beatæ Mariæ, in Veſperis Annuntiationis non fit commemorat. feſti Septem Dolorum.

In Officio dicitur Hymnus: Te Deum laudamus, *& in Miſſa:* Gloria in excelſis, *& in ea adhibetur col. alb. Omnia ex Decretis Sacræ Rit. Congregat. 3. Septembr. 1672. & 16. Septemb. 1673.*

AD VESPERAS.

Aña. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

Pſalmus. 115.

CRedidi propter quod locutus ſum: * ego autem humiliatus ſum nimis.
Ego dixi in exceſſu meo: * omnis homo mendax.
Quid retribuam Domino: * pro omnibus quæ retribuit mihi?
Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: * pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.
O Domine, quia ego ſeruus tuus: * ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.
Dirupiſti vincula mea: * tibi

ſacri-

ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius: * in atrijs domus Domini, in medio tui Ieruſalem.
Aña. Uadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.
Aña. Dilectus meus candidus & rubicundus: comæ capitis eius ſicut purpura Regis vincta canalibus. *Pſalmus* 119.

AD Dominum cum tribularer clamaui: * & exaudiuit me.
Domine libera animam meam á labijs iniquis, * & á lingua doloſa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam doloſam?
Sagittæ potentis acutæ, * cum carbonibus deſolatorijs.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.
Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.
Aña. Dilectus meus candidus, & rubicundus: comæ capitis eius ſicut purpura Regis vincta canalibus. *Aña.* Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò dilectus tuus declinauit? *Pſalmus* 139.

ERipe me Domine ab homine malo: * à viro iniquo eripe me.
Qui cogitauerunt iniquitates in corde: * tota die conſtituebant prælia.
Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: * venenum aſpidum ſub labijs eorum.
Cuſtodi me Domine de manu peccatoris: * & ab hominibus iniquis eripe me.
Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos: * abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.
Et funes extenderunt in laqueum: * iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.
Dixi Domino: Deus meus es tu: * exaudi Domine vocem deprecationis meæ.
Domine, Domine virtus ſalutis meæ: * obumbraſti ſuper caput meum in die belli.
Ne tradas me Domine á deſiderio meo peccatori: * cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.
Caput circuitus eorum: * labor labiorum ipſorum operiet eos.
Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos: * in miſerijs non ſubſiſtent.
Uir linguoſus non dirigetur in terra: * virum iniuſtum mala capient in interitu.
Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, * & vindictam pauperum.
Uerumtamen iuſti confitebuntur nomini tuo: * & habitabunt recti cum vultu tuo.

Aña. Quo abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quo dilectus tuus declinauit?

Aña. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

Pſalmus 140.

DOmine clamaui ad te, exaudi me: * intende voci meæ, cum clamauero ad te.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: * eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

Pone Domine cuſtodiam ori meo: * & oſtium circunſtantiæ labijs meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ: * ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: * & non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: * abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt: * ſicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram.

Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum: * quia ad te Domine Domine oculi mei: in te ſperaui, non auferas animam meam.

Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi: * Et à ſcandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo eius peccatores: * Singulariter ſum ego, donec tranſeam.

Aña. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Aña.* Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Pſalmus 141.

VOce mea ad Dominum clamaui: * voce mea ad Dominum de precatus ſum.

Effundo in conſpectu eius orationem meam: * & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.

In deficiendo ex me ſpiritum meum: & tu cognouiſti ſemitas meas.

In via hac, qua ambulabam: * abſconderunt laqueum mihi.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam: * & non erat qui cognoſceret me.

Perijt fuga à me: * & non eſt qui requirat animam meam.

Clamaui ad te Domine, * dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus ſum nimis.

Libera me à perſequentibus me: * quia confortati ſunt ſuper me.

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant iuſti, donec retri-

retribuas mihi.

Aña. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Capitulum. *Iſai.* 53.

QVis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.

Hymnus.

STabat Mater doloroſa,
Iuxta Crucem lacrymoſa,
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem,
Contriſtantem & dolentem,
Pertranſiuit gladius.
O quam triſtis, & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Vnigeniti!
Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat cum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo qui non fleret,
Chriſti matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?
Quis non poſſet contriſtari,
Piam matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis ſuæ gentis
Vidit Ieſum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem natum
Morientem deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eia mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris,
Fac, vt tecum lugeam.
Fac vt ardeat cor meum
In amando Chriſtum Deum,
Vt ſibi complaceam. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo doloroſiſſima. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Magnificat, Aña.

Tuam ipſius animam (ait ad Mariam Simeon) pertranſiuit gladius.

Oratio.

DEus, in cuius paſſione, ſecundùm Simeonis prophetiam, dulciſſimam animam glorioſæ Virginis & Matris Mariæ doloris gladius pertranſiuit: concede propitius; vt qui tranſfixionem eius & paſſionem venerando recolimus, glorioſis meritis & precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter aſtantium intercedentibus, paſſionis tuæ effectum felicem conſequamur. Qui viuis & regnas.

Et fit commemoratio Feriæ.

Aña. Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. ℣. Eripe me Domine ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me.

Oratio.

ESto, quæſumus Domine, propitius plebi tuæ: vt, quæ tibi non placent, reſpuentes; tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum. Per Dominum noſtrum.

Ad Completorium, & per Horas in fine Hymnorum, dicitur: Ieſu, tibi ſit gloria qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Dolores glorioſæ recolentes Virginis, Dominum pro nobis

paſ-

paſſum, * Venite, adoremus.
Pſalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

SAncta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare
In planctu deſidero.
Amen.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Pſalmus 2.

QUare fremuerunt Gentes, * & populi meditati ſunt inania?
Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, * aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.
Dirumpamus vincula eorum: * & projiciamus â nobis iugum ipſorum.
Qui habitat in cœlis irridebit eos: * & Dominus ſubſannabit eos.
Tunc loquetur ad eos in ira ſua, * & in furore ſuo conturbabit eos.
Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.
Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.
Poſtula á me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, * & poſſeſſionem tuam terminos terræ.
Reges eos in virga ferrea, * & tamquam vas figuli confringes eos.
Et nunc reges intelligite; * erudimini qui iudicatis terram.
Seruite Domino in timore: * & exultate ei cum tremore.
Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, * & pereatis de via iuſta.
Cum exarſerit in breui ira eius, * beati omnes, qui confidunt in eo.
Aña. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. *Aña.* Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Pſalmus 3.

DOmine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? * multi inſurgunt aduerſum me.
Multi dicunt animæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.
Tu autem Domine ſuſceptor meus es * gloria mea, & exaltans caput meum.
Voce mea ad Dominum clamavi: * & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.
Ego dormiui, & ſoporatus

ſum : * & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me : * exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa : * dentes peccatorum contriuiſti.

Domini eſt ſalus : * & ſuper populum tuum benedictio tua.

Aña. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. *Aña.* Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

Pſalmus 12.

VSque quo Domine obliuiſceris me in finem ? * Vſquequo auertis faciem tuam à me ?

Quamdiu ponam conſilia in anima mea, * dolorem in corde meo per diem ?

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me ? * reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte : * ne quando dicat inimicus meus : Præualui aduerſus eum.

Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero : * ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Exultauit cor meum in ſalutari tuo : cantabo Domino, qui bona tribuit mihi : * & pſallam nomini Domini Altiſſimi.

Aña. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. ℣. Poſuit me deſolatam. ℞. Tota die mœrore confectam. Pater noſter. *Abſolutio.* Exaudi Domine. ℣. Iube domne. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

De Iſaia Propheta.

Lectio j. *Cap.* 53.

QUis credidit auditui noſtro ? Et brachium Domini cui reuelatum eſt ? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti : non eſt ſpecies ei, neque decor : & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem ; & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vndè nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit : & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra : diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.

℞. Dilectus meus candidus, & rubicundus, & totus deſiderabilis : * Omnis enim figura eius amorem ſpirat, & ad redamandum prouocat caput inclinatum, manus expanſæ, pectus apertum. ℣. Pijs, ò Virgo, ſpectas eum oculis, contemplans in eo non tàm vulnerum liuorem, quàm mundi ſalutem. Omnis

enim.

enim. *Benedictio.* Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

OMnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt: generationem eius quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.

℞. Manus eius tornatiles, clauorum cuſpide terebratæ: * Humanæ ſalutis pretio quaſi hyacinthis refertæ. ℣. Cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius: ſunt enim manus eius. Humanæ ſalutis. *Benedictio.* Spiritus ſancti gratia.

Lectio iij.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate: ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.

℞. Diligebat Ieſus Ioannem, quoniam ſpecialis prærogatiua caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum: * Quia virgo electus ab ipſo, virgo in æuum permanſit. ℣. In Cruce denique moriturus huic matrem virginem virgini commendauit. Quia virgo. Gloria Patri. Quia virgo.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen eius.

Pſalmus 40.

BEatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: * & non tradat eum in animã inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: * vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

Ego dixi: Domine miſerere mei: * ſana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: * Quando morietur, & peribit nomen eius.

Et

Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, * cor eius congregauit iniquitatem ſibi.
Egrediebatur foras, * & loquebatur in id ipſum.
Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: * aduerſum me cogitabant mala mihi.
Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me: * Numquid qui dormit, non adjiciet vt reſurgat?
Etenim homo pacis meæ, inquo ſperaui:* qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.
Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me: *& retribuam eis.
In hoc cognoui, quoniam voluiſti me: * quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.
Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: * & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.
Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo, & vſque in ſæculum: * fiat, fiat.
Aña. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen eius. *Aña.* Deus, vitam meam annuntiaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Pſalmus 55.

MIſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: * Tota die impugnans tribulauit me.
Conculcauerunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes aduerſum me.
Ab altitudine diei timebo: * ego verò in te ſperabo.
In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui: * non timebo quid faciat mihi caro.
Tota die verba mea execrabantur: * aduerſum me omnes cogitationes eorum, in malum.
Inhabitabunt, & abſcondent: * ipſi calcaneum meum obſeruabunt.
Sicut ſuſtinuerũt animam meã, pro nihilo ſaluos facies illos: * in ira populos confringes.
Deus, vitam meam annuntiaui tibi: * poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.
Sicut & in promiſſione tua: * tunc conuertentur inimici mei retrorſum.
In quacumque die inuocauero te: * ecce cognoui quoniam Deus meus es.
In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: * in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.
In me ſunt Deus vota tua: * quæ reddam, laudationes tibi.
Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, * vt placeam coram Deo in lumine viuentium.
Aña. Deus, vitam meam annuntiaui tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. *Aña* Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

Pſalmus 56.

MIſerere mei Deus, miſerere mei: * quoniam in te confidit anima mea.
Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, * donec tranſeat iniquitas.
Clamabo ad Deum Altiſſimum: * Deum qui benefecit mihi.
Miſit de cœlo, & liberauit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.
Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, * & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.
Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: * & lingua eorum gladius acutus.
Exaltare ſuper cœlos Deus: * & in omnem terram gloria tua.
Laqueum parauerunt pedibus meis: * & incuruauerunt animam meam.
Foderunt ante faciem meam foueam: * inciderunt in eam.
Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: * cantabo, & pſalmum dicam.
Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara: * exurgam diluculo.
Confitebor tibi in populis Domine: * & pſalmum dicam tibi in Gentibus.
Quoniam magnificata eſt vſque ad cœlos miſericordia tua: * & vſque ad nubes veritas tua.
Exaltare ſuper cœlos Deus: * & ſuper omnem terram gloria tua.
Aña. Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.
℣. Facies mea intumuit à fletu.
℟. Et palpebræ meæ calligauerunt. Pater noſter. *Abſolutio.* Ipſius pietas. ℣. Iube domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12. ſtellis.

Lectio iiij.

MArtyrium Virginis tàm in Simeonis prophetia, quàm in ipſa Dominicæ paſſionis hiſtoria commendatur. Poſitus eſt hic (ait ſanctus ſenex de paruulo Ieſu) in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam (ad Mariam autem dicebat) pertranſibit gladius. Verè tuam, ò beata mater, animam gladius pertranſibit. Alioquin non niſi eam pertranſiens, carnem Filij tui penetraret. Et quidem poſteaquam emiſit ſpiritum tuus ille Ieſus, ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius aperuit latus, ſed tuam vtique animam pertranſibit. Ipſius nimirum anima iam ibi non erat, ſed tua planè inde nequibat auelli.
℟. Tenebræ factæ ſunt, cum crucifixiſſent Ieſum Iudæi: & circa horam nonam exclamauit Ieſus voce magna: Deus meus

vt quid dereliquiſti me? * Et inclinato capite emiſit ſpiritum.
℣. Quis tibi nunc ſenſus, dum cernis talia, Uirgo? Et inclinato capite. *Benedictio.* Chriſtus perpetuæ.

Lectio v.

TUam ergo pertranſibit animam vis doloris, vt pluſquam martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis excesſerit compaſſionis affectus. An non tibi pluſquam gladius fuit ſermo ille, reuera pertranſiens animam, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Ieſu traditur, ſeruus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuoſiſſimam animam pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra licet ſaxea, licet ferrea pectora ſola recordatio ſcindit?
℟. Paſſio Domini, * Ipſam eius matrem carnali orbitate grauiter percuſſam, vehementiſſimè contriſtauit. ℣. Ferrum lanceæ militaris, latus quidem Saluatoris, animam verò tranſibit Virginis matris. Ipſam eius matrem. *Benedictio.* Ignem ſui amoris.

Lectio vj.

NOn miremini, fratres, quòd Maria martyr in anima fuiſſe dicatur. Miretur qui non meminerit ſe audiſſe Paulum inter maxima Gentium crimina memorantem, quòd ſine affectione fuiſſent. Longè id fuit à Mariæ viſceribus, longè ſit à ſeruulis eius. Sed fortè quis dicat: Numquid non eum præſcierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non ſperabat continuò reſurrecturum? Et fideliter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quiſnam tu frater, aut vnde tibi hæc ſapientia, vt mireris plus Mariam compatientem, quam Mariæ Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit; iſta commori corde non potuit? Fecit illud charitas, quia maiorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.
℟. Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, & inhærendo lateri tuo, vt ſanguis tuus ſanguinem meum tangat, & tergat. * Vt fons aquæ tuæ de ſcaturigine recti cordis, per venas boni operis, in finem æternæ felicitatis exiliat. ℣. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Ut fons. Gloria Patri. Vt fons.

In tertio Nocturno.

Aña. Intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.

Pſalmus 63.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor: * à timo-

timore inimici eripe animam meam.

Protexiſti me à conuentu malignantium: * à multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas:* intenderũt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.

Subito ſagittabunt eum, & non timebunt: * firmauerunt ſibi ſermonem nequam.

Narrauerunt vt abſconderent laqueos:* dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati ſunt iniquitates: * defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * & exaltabitur Deus.

Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: * & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati ſunt omnes, qui videbant eos: * & timuit omnis homo.

Et annuntiauerunt opera Dei:* & facta eius intellexerunt.

Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, * & laudabuntur omnes recti corde.

Aña. Intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum. *Aña.* Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.

Pſalmus 87.

DOmine Deus ſalutis meæ, * in die clamaui, & nocte coram te.

Intret in conſpectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta eſt malis anima mea:* & vita mea inferno appropinquauit.

Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: * factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: * & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Poſuerunt me in lacu inferiori: * in tenebroſis, & in vmbra mortis.

Super me confirmatus eſt furor tuus: * & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Longè feciſti notos meos à me: * poſuerunt me abominationem ſibi.

Traditus ſum, & non egrediebar, * oculi mei languerunt præ inopia.

Clamaui ad te Domine tota die: * expandi ad te manus meas.

Num quid mortuis facies mirabilia: * aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?

Num quid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, * & veritatem tuam in perditione?

Num quid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua: * & iuſtitia tua in terra obliuionis?

Et ego ad te Domine clamaui: * & mane oratio mea præueniet te.

Ut

Ut quid Domine repellis orationem meam : * auertis faciem tuam á me ?

Pauper ſum ego, & in laboribus â iuuentute mea : * exaltatus autem, humiliatus ſum, & conturbatus.

In me tranſierunt iræ tuæ : * & terrores tui conturbauerunt me.

Circumdederunt me ſicut aqua tota die : * circumdederunt me ſimul.

Elongaſti á me amicum & proximum : * & notos meos à miſeria.

Aña. Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. *Aña.* Repleuit me amaritudine, inebriauit me abſynthio.

Pſalmus 108.

DEus laudem meam ne tacueris : * quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.

Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me : * & expugnauerunt me gratis.

Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi : * ego autem orabam.

Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis : * & odium pro dilectione mea.

Conſtitue ſuper eum peccatorem : * & diabolus ſtet à dextris eius.

Cum iudicatur, exeat condemnatus : * & oratio eius fiat in peccatum.

Fiant dies eius pauci : & epiſcopatum eius accipiat alter.

Fiant filij eius orphani : & vxor eius vidua.

Nutantes transferantur filij eius, & mendicent : & ejiciantur de habitationibus ſuis.

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius ; & diripiant alieni labores eius.

Non ſit illi adiutor : * nec ſit qui miſeatur pupillis eius.

Fiant nati eius in interitum : * in generatione vna deleatur nomen eius.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini : * & peccatum matris eius non deleatur.

Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum : * pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam.

Et perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, * & compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei : & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, * & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.

Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: * & qui loquuntur mala aduer-

ſus

ſus animam meam.

Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: * quia ſuauis eſt miſericordia tua.

Libera me, quia egenus & pauper ego ſum: * & cor meum conturbatum eſt intra me.

Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum: & excuſus ſum ſicut locuſtæ.

Genua mea infirmata ſunt á ieiunio: * & caro mea immutata eſt propter oleum.

Et ego factus ſum opprobrium illis: * viderunt me, & mouerunt capita ſua.

Adiuua me Domine Deus meus: * ſaluum me fac ſecundum miſericordiam tuam.

Et ſciant quia manus tua hæc: * & tu Domine feciſti eam.

Maledicent illi, & tu benedices: * qui inſurgunt in me, confundantur: ſeruus autem tuus lætabitur.

Induantur qui detrahunt mihi, pudore: * & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.

Confitebor Domino nimis in ore meo: * & in medio multorum laudabo eum.

Quia aſtitit à dextris pauperis, * vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.

Aña. Repleuit me amaritudine, inebriauit me abſynthio.

℣. Deus, vitam meam annunciaui tibi. ℟. Poſuiſti lacrymas meas in conſpetu tuo. Pater noſter. *Abſolutio.* A vinculis.

℣. Iube domne. *Benedictio.* Euangelica lectio.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Stabant iuxta Crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 119. in Ioan.

HÆc nimirum eſt illa hora, de qua Ieſus, aquam conuerſurus in vinum, dixerat matri: Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoſcere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo diuina facturus, non diuinitatis, ſed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat. Nunc autem humana iam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano: moralis igitur inſinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruxit præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, vbi fixa erãt membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis.

℟. Doleo ſuper te fili me Ieſu: decorus nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum: * Sicut enim

enim mater vnicum diligit filium, ita ego te diligebam.

℣. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Sicut enim. *Benedictio.* Cuius feſtum colimus.

Lectio viij.

EX hac ſana doctrina didicerat Paulus Apoſtolus, quod docebat, quando dicebat: Si quis autem ſuis, & maximè domeſticis non prouidet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Quid autem tàm cuique domeſticum, quàm parentes filijs, aut parentibus filij? Huius itaque ſaluberrimi præcepti ipſe Magiſter Sanctorum de ſe ipſo conſtituebat exemplum, quando non vt famulæ Deus, quam creauerat, & regebat; ſed vt matri homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro ſe quodammodo filium prouidebat.

℟. Eia mater fons amoris, fac nos ſentire vim doloris, vt tecum lugeamus: * Et Dominicæ paſſionis fructum ſentiamus.

℣. Ut ſicut Filius tuus Ieſus pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, ita & nos commortui cum eodem reſurgamus. Et Dominicæ. Gloria Patri. Et Dominicæ.

Benedict. Per Euangelica dicta.

Lectio ſancti Evangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio ix. *Cap.* 11 *f.*

IN illo tempore: Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum; & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 39. *in Ioan. ſub finem.*

POntifices, & Phariſæi ſibi conſulebant: nec tamen dicebant: Credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent, vt perderent, quam quomodo ſibi conſulerent, ne perirent: & tamen timebant, & quaſi conſulebant. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac ſic vtrumque amiſerunt.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES.

& per Horas, Aña.

VAdam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. *Pſalm.* Dominus regnauit. *cum reliquis de Dominica. Aña.* Dilectus meus candidus, & rubicundus: comæ capitis eius ſicut purpura Regis vincta canalibus. *Aña.* Quo abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quo dilectus tuus declinauit? *Aña.* Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Aña.* Fulcite me floribus, ſtipate me malis.

lis, quia amore langueo.

Capitulum. Iſai. 53.

QUis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.

Hymnus.

VIrgo virginum præclara,
Mihi iam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac vt portem Chriſti mortem,
Paſſionis eius ſortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflamatus, & accenſus,
Per te Virgo ſim defenſus
In die iudicij.
Fac me Cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur,
Paradiſi gloria. Amen.

℣ Ora pro nobis Virgo doloroſiſſima. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Benedictus, Aña.

Cum vidiſſet Jeſus matrem ſtantem iuxta Crucem; & diſcipulum quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus, Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.

Oratio.

DEus, in cuius paſſione, ſecundùm Simeonis prophetiam, dulciſſimam animam glorioſæ Uirginis & Matris Mariæ doloris gladius pertranſiuit: concede propitius; vt qui tranſfixionem eius, & paſſionem venerando recolimus, glorioſis meritis, & precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter aſtantium intercedentibus, paſſionis tuæ effectum felicem conſequamur. Qui viuis & regnas.

Et fit commemoratio Feriæ.

Aña. Appropinquabat autem dies feſtus Iudæorum: & quærebant Principes Sacerdotum quomodo Ieſum interficerent, ſed timebant plebem. ℣. Eripe me de inimicis mei Deus meus. ℟. Et ab inſurgentibus in me libera me.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus Domine, gratiam tuam benignus infunde: vt peccata noſtra caſtigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potiùs maceremur, quam ſupplicijs deputemur æternis. Per Dominum noſtrum.

Ad Primam. Aña. Vadam ad montem. ℟. Chriſte fili. ℣. Qui paſſus es pro homine.

Ad Tertiam. Aña. Dilectus meus. *Capitulum.* Quis credidit. *vt ſupra.*

℟. *bre.* Poſuit me, * Deſolatam. Poſuit. ℣. Tota die mœrore confectam. Deſolatam. Gloria Patri. Poſuit. ℣. Facies mea intumuit á fletu. ℟. Et palpebræ meæ calligauerunt.

Ad

Ad Sextam. *Aña.* Quo abijt.

Capitulum. *Iſai.* 53.

IPſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.

℟. *bre.* Facies mea, * Intumuit à fletu. Facies. ℣. Et palpebræ meæ calligauerunt. Intumuit. Gloria Patri. Facies mea.

℣. Deus, vitam meam annuntiaui tibi. ℟. Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Ad Nonam. *Aña.* Fulcite me floribus.

Capitulum. *Iſai.* 53.

GEnerationem eius, quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

℟. *bre.* Deus, vitam meam, * Annuntiaui tibi. Deus, vitam meam. ℣. Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. Annuntiaui. Gloria Patri. Deus, vitam meam. ℣. Ora pro nobis, Virgo doloroſiſſima. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

In ſecundis Veſperis, omnia vt in primis.

Ad Magnificat, Aña.

Cum vidiſſet Ieſus matrem ſtantem iuxta Crucem, & diſcipulũ quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.

Et fit commemorat. Feriæ.

Aña. Principes Sacerdotum cõſilium fecerunt vt Ieſum occiderent: dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. ℣. Eripe me Domine ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me.

Oratio.

COncede quæſumus omnipotens Deus: vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus, ſecura tibi mente ſeruiamus. Per Dominum noſtrum.

Miſſa habetur propria: & Sequentia, quæ incipit: Stabat Mater doloroſa, *dicitur hodie tantum non in Miſſis Votiuis. ex Decreto iam citato.*

DIE XXI. APRILIS.

In feſto ſancti Anſelmi Cantuarienſis, Archiepiſcopi, & Confeſſoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſor. Pontif. præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis Beatum Anſelmum miniſtrum tribuiſti, præſta quæſumus, vt quem Doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

In primo Noctur Lectiones de Scriptura ocurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij. *

ANſelmus Auguſtæ Prætoriæ in finibus Italiæ Gundulpho, & Ermemberga, nobilibus,

 bus,

bus, & Catholicis parentibus natus, à teneris annis aſſiduò litterarum ſtudio, atque perfectioris vitæ deſiderio, non obſcurum futuræ Sanctitatis, & doctrinæ ſpecimen dedit. Et licèt iuuenili ardore aliquandò ad ſæculi illecebras traheretur, breui tamen in priſtinam viam reuocatus, patria, & bonis omnibus derelictis, ad Monaſterium Beccenſe Ordinis Sancti Benedicti ſe contulit: vbi emiſſa regulari Profeſſione ſub Herluino Abbate obſeruantiſſimo, & Lanfranco viro doctiſſimo, tanto animi feruore, & iugi ſtudio in litteris, & virtutibus aſſequendis profecit, vt mirum in modum tanquam Sanctitatis & doctrinæ exemplar ab omnibus haberetur.

℟. Inueni Dauid.

Lectio v.

ABſtinentiæ, & continentiæ tantæ fuit, vt aſſiduitate ieiunij omnis penè ciborum ſenſus in eo videretur extinctus. Diurno enim tempore in exercitijs Monaſticis docendo, & reſpondendo varijs de Religione quæſitis, emenſo, quod reliquum erat noctis ſomno ſub trahebat, vt diuinis meditationibus, quas perenni lacrymarum imbre fouebat, mentem recrearet. Electus in Priorem Monaſterij inuiduos fratres ita charitate, humilitate, & prudentia leniuit, vt quos æmulos acceperat, ſibi, & Deo amicos, maximò cum regularis obſeruantiæ emolumento redderet. Mortuo Abbate, & in eius locum (licèt inuitus) ſuffectus, tanta doctrinæ, & ſanctitatis fama vbique refulſit, vt non modò Regibus, & Epiſcopis venerationi eſſet, ſed Sancto Gregorio Septimo etiam acceptus, qui tunc magnis perſecutionibus agitatus litteras amoris plenas ad eum dedit; quibus ſe, & Eccleſiam Catholicam eius orationibus commendabat.

℟. Poſuit adiutorium.

Lectio vj.

DEfuncto Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi eius olim præceptore, Anſelmus, vrgente Willelmo Angliæ Rege, & inſtantibus Clero, ac Populo, ipſo tamen repugnante, ad eiuſdem Eccleſiæ regimen vocatus, ſtatim (vt corruptos populi mores reformaret) verbo, & exemplo priús deinde ſcriptis, & Concilijs celebratis, priſtinam pietatem, & Eccleſiaſticam diſciplinam reduxit. Sed cùm mox idem Willelmus Rex vi, & minis Eccleſiæ iura vſurpare tentaſſet, ipſe Sacerdotali conſtantia reſtitit; bonorumque direptionem, & exilium paſſus. Romam ad Vrbanum Secundum ſe contulit, á quo honorificè exceptus, & ſummis laudibus ornatus eſt, cùm in Barenſi Concilio Spiritum Sanctum

etiam

etiam à Filio procedentem contra Græcorum errorem innumeris Scripturarum, & Sanctorum Patrum teſtimonijs propugnaſſet. E viuis Willelmo ſublato, ab Henrico Rege eius fratre in Angliam reuocatus, obdormiuit in Domino, famam non ſolùm miraculorum, & Sanctitatis (præcipuè ob inſignem deuotionem erga Domini noſtri Paſſionem, & Beatam Virginem eius Matrem) aſſequutus, ſed etiam doctrinæ, quam ad defenſionem Chriſtianæ Religionis, animarum profectum, & omnium Theologorum, qui ſacras litteras ſcholaſtica methodo tradiderunt, normam cœlitus hauſiſſe ex eius libris omnibus apparet.

℟.Iſte eſt qui ante Deum.

In tertio Nocturno. Lectiones ſequentes.

Lectio ſancti Evangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilia ſancti Hilarij Epiſcopi.

Comment. in Matth. cap. 5.

Lectio vij.

VOs eſtis ſal terræ, quod ſi ſal infatuatum fuerit, ad nihilum valet id, quod ſalietur. Sal, vt arbitror, terræ nullum eſt: quomodò ergo Apoſtolos ſal terræ nuncupauit? Sed proprietas eſt quærenda dictorum, quam & Apoſtolorum officium, & ipſius ſalis natura moſtrabit. Sal eſt in ſe vnò continens aquæ, & ignis elementum; & hoc ex duobus eſt vnum.

℟.Amauit eum.

Lectio viij.

HIc igitur in omnem vſum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aſperſus, impertit, & ad omnem ſenſum conditi ſaporis aptiſſimus eſt, Apoſtoli autem ſunt rerum cœleſtium Prædicatores, & æternitatis velut Satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, conferentes. Meritò igitur ſal terræ nuncupati ſunt, per doctrinæ virtutem ſaliendi modo æternitati corpora reſeruantes.

℟.In medio Eccleſiæ.

Lectio ix.

SEd natura ſalis ſemper eadem eſt, nec immutari vnquam poteſt. Verùm quia conuerſioni homo ſubiacet; & ſolus beatus, qui vſque ad finem in omnibus Dei operibus permanſerit: ideò eos ſal terræ nuncupatos monet in traditæ ſibi poteſtatis virtute perſiſtere, ne infatuati nihil ſaliant, & ipſi, ſenſu accepti ſaporis amiſſo, viuificare corrupta non poſſint, & proiecti de Eccleſię promptuarijs cum ijs, quos ſalierint, pedibus incedentium proterantur.

DIE IV. MAIJ.

In feſto Coronæ Domini. Duplex. in aliquibus Diœceſibus.

AD VESPERAS.

Aña. Milites Præſidis. *cum reliquis de Laudibus, vt infra. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica: & loco vltimi. Pſalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Cant.* 3.

EGredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

In vtriſque Veſperis.

Hymnus.

LAuda fidelis concio
Spinæ trophæum inclytum:
Per quam perit perditio,
Vitæque datur meritum.
Nos à puncturis liberat
Æterni Patris Filius,
Dum Spinis pungi tolerat
Spinarum culpæ neſcius.
Cum Spinarum aculeum,
Chriſtus pro nobis pertulit,
Per Diadema ſpineum
Uitæ coronam contulit.
Plaudat turba fidelium,
Quod per Spinæ ludibrium
Purgat Creator omnium
Spineti noſtri vitium.
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale Ieſu gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclyto,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Tuam Coronam adoramus Domine, alleluia. ℟. Tuumglorioſum recolimus triumphum, alleluia.

Ad Magnificat, Aña.

Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit: & milites plectentes Coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdedêrunt eum, alleluia, alleluia.

Oratio.

PRæſta, quæſumus omnipotens Deus: vt qui in memoriam paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Coronam eius ſpineam veneramur in terris; ab ipſo gloria, & honore coronari mereamur in cœlis. Qui tecum viuit & regnat.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Chriſtum Regem pro nobis Spinis coronatum. * Venite adoremus, alleluia. *Pſalm.* Uenite, exultemus. *Hymnus.* Lauda fidelis concio. *vt ſupra in Veſp.*

In primo Nocturno.

Aña. Maledicta terra in opere tuo; Spinas & tribulos germinabit tibi, alleluia. *Pſalm.* Beatus vir. *cum reliquis, vt in feſto Inuentionis ſanctæ Crucis die tertia Maij.* ℣. Tuam Coronam adoramus Domine alleluia.
℟. Tuum glorioſum recolimus triumphum, alleluia.

De Iſaia Propheta.

Le-

Lectio j. *Cap.53 art.*

QUis credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorũ, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vndè nec reputauimus eum.

℟. Ecce vidimus eum non habentem ſpeciem, neque decorem: aſpectus eius in eo non eſt; hic peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet; ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: * Cuius liuore ſanati ſumus, alleluia. ℣. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Cuius liuore.

Lectio vj.

VEre languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.

℟. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? * Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me, alleluia. ℣. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum coherentem mihi. Et dicet.

De Zacharia Propheta.

Cap. 12. à cap. 35. cap. 6. à &c.

Lectio iiij.

ET erit in die illa: quæram conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra Ieruſalem. Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem. Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute paſtorem, & diſpergentur oues, & conuertam manum meam ad paruulos.

℟. Tuam Coronam ſpineam veneramur Domine, tuam glorioſam recolimus paſſionem: * Miſerere nobis, qui paſſus es pro nobis, alleluia. ℣. Salua præſentem cateruam in tuis hodie

die laudibus congregatam. Miſerere nobis. Gloria Patri. Miſerere nobis.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Pro frumento ortus eſt mihi tribulus, & pro hordeo ſpina, alleluia. *Pſal.* Cum inuocarem. *Pſalm.* Verba mea. *Pſalm.* Domine Dominus noſter. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine, alleluia. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, alleluia.

Et Tractatu ſancti Athanaſij de Paſſione Domini.

Lectio iiij. *Tom.* 3.

CUm exueretur Dominus, eo ipſo inuiſibiliter erigebatur de diabolo trophæum: & quo illo manifeſtum fieret, narratur à Ioanne, indutum fuiſſe purpura: á Mathæo vero, & Marco chlamyde coccinea, Coronamque illi ex Spinis ſuper caput eſſe poſſitam, & calamum in manu datum, & ita cum eum produxiſſent, genibus flexis adoraſſe. Miraculum nouum & incredibile, & magnæ ſine dubio victoriæ inſigne: quem enim vt hominem condemnauerant, eum mortuum deinde vt Deum adorauerunt: & quem aſpernabantur vt vilem & contemptibilem, eum confitebantur Regem: cui tunicam & veſtem detraxerant, eum purpura circumdederunt: & quem ignorantes contumelijs afficiebant, eum Prophetam etiam nolentes appellauerunt: & quem per ludibrium, ſubſannationemque pulſabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & Coronam ſpineam, & calamum. Nam tametſi ea quaſi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, vt ab eo latenter ſpoliarentur.

℟. Corona aurea ſuper caput eius: * Expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis, alleluia. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius Coronam de lapide pretioſo. Expreſſa.

Serm. 72. qui eſt 19. de S. Cyprian.

Lectio v.

VIdeamus diligenter, ne ex palmite operis noſtri non naſcatur dulcedinis vua, ſed fellis; ne dicatur nobis, quod Iudæis dictum eſt per Prophetam: Suſtinui, vt faceret vuam, fecit autem ſpinas; & non iuſtitiam, ſed clamorem. Quam dura conditio, vt poſſeſſio, quæ Domino ſuo ſuauitatis fructus afferre debuit, Spinarum illum aſperitate compunxerit: hoc eſt, cum Iudæi Saluatorem debuerint tota fidei deuotione ſuſcipere, Spinarum eum coronauerunt paſſione. Quæ Corona quidem, quantum in Iudæis eſt, erat iniuriarum contumelia; quantum in Domino, erat Corona virtutum. Compungunt ergo Iudæi Dominum, dum coronant, com-

pun-

pungunt, dum crucifigũt. Vnde ait Scriptura ſancta: Videbunt in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerunt me, & præualuerunt inſidiantes mihi, tradidit me quem diligebã: * Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, ſubſannabant mihi, alleluia. ℣. Inter iniquos proiecerunt me, & non pepercerunt animæ meæ. Et terribilibus.

Lectio vj.

IGitur, fratres, videte ne & nobis dicatur: Suſtinui vt faceret vuam, fecit autem ſpinas: hoc eſt, ne ſpinas, quas Domino Iudæi cruentis impoſuerunt manibus, nos iniquis ſenſibus apponamus, & compungamus eum non aſperitate ſentium, ſed operum prauitate. Sunt enim ſpinæ cordis, quæ Verbum Dei etiam vulnarare conſueuerunt, de quibus meminit in Euangelio Saluator, dicens: Seminantis ſemen cecidiſſe inter ſpinas, & creuiſſe eas, ac ſuffocaſſe quod ſatum eſt. Ergo, fratres, videte, ne vinea veſtra non vuas, ſed ſpinas faciat, ne vindemia veſtra non vinum afferat, ſed acetum. Quiſquis enim vindemiam legit, & pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quiſquis meſes recondit, & indigentibus non miniſtrat, iſte non alimoniæ fructus repoſuit, ſed tribulos auaritiæ congregauit. Nam propterea ait Scriptura de terra noſtra: Spinas & tribulos germinabit tibi.

℟. Vinea mea electa, ego te plantaui: * Quomodo conuerſa es in amaritudinem, vt me Spinis coronares? alleluia. ℣. Sepiui te, & lapides elegi ex te, & ædificaui turrim. Quomodo. Gloria Patri. Quomodo.

In tertio Nocturno.

Aña. Grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur Spina, alleluia. *Pſalm.* Cantate Domino. *ij. Pſalm.* Dominus regnauit, exultet terra. *Pſalm.* Cantate Domino. *iij.* ℣. Eris Corona gloriæ in manu Domini, alleluia. ℟. Et diadema regni in manu Dei tui, alleluia.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. 19. á

IN illo tempore: Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit: Et milites plectentes Coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 116. in Ioan.

HOc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt, niſi vt eius iniurijs Iudæi ſatiati, ſufficere ſibi exiſtimarent, & vſque ad eius mortem ſæuire deſiſterent. Ad hoc pertinet quod idem Præſes cohortem

ſuam

ſuam etiam permiſit facere quæ ſequuntur, aut fortaſſis & iuſſit, quamvis hoc Euangeliſta tacuerit: dixit enim quid deinde fecerint milites, Pilatum tamen id iuſſiſſe non dixit.

℟. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius: * Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, alleluia. ℣. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum.

Lectio viij.

ET milites, inquit, plectentes Coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Sic implebantur quæ de ſe prædixerat Chriſtus: ſic martyres informabantur ad omnia, quæ perſecutori libuiſſet facere, perferenda: ſic pauliſper, occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia: ſic regnum, quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat: ſic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria.

℟. Milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem; & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei: * Et plectentes Coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, alleluia. ℣. Genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et plectentes. Gloria Patri. Et plectentes.

Lectio ix.

EXijt ergo IESVS portans Coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum: & dicit eis Pilatus: Ecce homo. Hic apparet non ignorante Pilato hæc à militibus facta, ſiue iuſſerit ea, ſiue permiſerit, illa ſcilicèt cauſa, quam ſuprà diximus, vt hæc eius ludibria inimici libentiſſimè biberent, & vlterius ſanguinem non ſitirent. Egreditur ad eos Ieſus portans ſpineam Coronam, & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicitur eis: Ecce homo. Si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus eſt, Spinis coronatus, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris conuicijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt: feruet ignominia, frigeſcat inuidia; ſed non frigeſcit, inardeſcit potius, & increſcit.

Te Deum Laudamus.

AD LAVDES.

& per Horas. Aña.

MIlites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniver-

verſam cohortem, alleluia. *Pſalm.* Dominus regnauit. *cum reliquis de Dominica.*

Aña. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, alleluia. *Aña.* Et plectentes Coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, alleluia. *Aña.* Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum, alleluia. *Aña.* Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, alleluia.

Capitulum. *Cap. 3. d.*

EGredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Hymnus.

ÆTerno Regi gloriæ
Deuota laudum cantica
Fideles ſoluant hodie
Pro Corona Dominica.
Coronat Regem omnium
Corona contumeliæ:
Cuius nobis opprobrium
Coronam confert gloriæ.
De ſpinarum aculeis
Chriſto Corona plectitur:
Qua miniſtris tartareis
Mundi poteſtas tollitur.
Corona Chriſti capitis
Sacro perfuſa ſanguine,
Pœnis ſolutis debitis,
Reos purgat à crimine.
Vt ſis perenne mentibus
Paſchale Ieſu gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito:
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Dominus regnauit decorem induit, alleluia. ℟. Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute, alleluia.

Ad Benedictus, Aña.

Milites induunt Ieſum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam Coronam, & cœperunt ſalutare eum: Aue Rex Iudæorum, alleluia.

Ad Tertiam. Aña. Et exuentes eum. *Capitulum.* Egredimini. *vt ſuprà.*

℟. *bre.* Tuam Coronam adoramus Domine, alleluia, alleluia. Tuam Coronam. ℣. Tuum glorioſum recolimus triumphum, alleluia, alleluia. Gloria Patri. Tuam. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine, alleluia. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, alleluia.

Ad Sextam. Aña. Et plectentes Coronam.

Capitulum.

Ioan. in Apocal. cap. 6. á

VEni, & vidi: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei Corona, & exiuit vincens, vt vinceret.

℟. *bre.* Gloria & honore coronaſti eum Domine, alleluia,

 alle-

alleluia. Gloria, & honore.
℣. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, alleluia, alleluia. Gloria Patri. Gloria & honore. ℣. Eris Corona gloriæ in manu Domini, alleluia. ℟. Et diadema regni in manu Dei tui, alleluia.

Ad Nonam. Aña. Et expuentes in eum

Capitulum. Iſai. cap. 28. b

IN die illa erit Dominus exercituum Corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.

℟. *bre.* Eris Corona gloriæ in manu Domini, alleluia, alleluia. Eris Corona. ℣. Et Diadema regni in manu Dei tui, alleluia, alleluia. Gloria Patri. Eris Corona. ℣. Dominus regnauit, decorem induit, alleluia. * Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute, alleluia.

In ſecundis Veſperis, omnia vt in primis.

Ad Magnificat, Aña.

O Coronæ miranda dignitas! mortis pœnas debitas repellis: tu ſpes lapſis, firmitas infirmis, tu reſtauras Coronas perditas, alleluia, alleluia.

DIE X. MAIJ.

In feſto ſancti Antonini Archiepiſcopi Florentini, & Confeſſ. Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi Confeſſ. Pontif. præter Orationem, & Lectiones, quæ ſequuntur.

In Hymno : Iſte Confeſſor, *mutatur tertius Verſus.*

Oratio.

SAncti ANTONINI, Domine, Confeſſoris tui atque Pontificis meritis adiuuemur: vt ſicut te in illo mirabilem prædicamus; ita in nos miſericordem fuiſſe gloriemur. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

ANtoninus, Florentiæ honeſtis parentibus natus, ab ipſa iam pueritia egregium futuræ ſanctitatis ſpecimen exhibuit. Annum agens ſextum decimum Religionem Prædicatorum amplexus, cœpit exinde maximis clarere virtutibus. Otio perpetuum bellum indixit: poſt nocturnum breuem ſomnum primus matutinis precibus aderat; quibus perſolutis, reliquum tempus noctis orationibus, aut certè lectioni, & ſcriptioni librorum tribuebat; & ſi quando importunior feſſis membris ſomnus obreperet, ad parietem paululùm declinato capite, ac tantiſper diſcuſſo ſomno, mox ſacras vigilias auidiùs repetebat.

℟. Inueni Dauid. 19.

Lectio v.

DIſciplinæ regularis ſui ipſius ſeueriſſimus exactor, carnes

carnes niſi in graui ægritudine numquam edit. Humi, aut in nudo tabulato cubabat: cilicio ſemper vſus, & interdum zona ferrea ad viuam cutem incinctus: Virginitatem integerrimè ſemper coluit. In explicandis conſilijs tantæ dexteritatis fuit, vt communi elogio Antoninus conſiliorum diceretur. Adeò autem in eo humilitas enituit, vt præfectus, abiectiſſima Monaſterij officia demiſiſſimè obirèt. Ab Eugenio Quarto Florentinus Archiepiſcopus denuntiatus, ægerrimè tandem, nec niſi Apoſtolicis minis perterrefactus vt Epiſcopatum acciperet, acquieuit.

℟. Poſui adiutorium. 19.

Lectio. vj.

IN eo munere vix dici poteſt, quantùm prudentia, pietate, charitate, manſuetudine, & ſacerdotali zelo excelluerit. Illud mirandum, tantum ingenio valuiſſe, vt omnes fermè ſcientias per ſe nullo adhibito præceptore abſolutiſſimè didicerit. Tandem poſt multos labores, multis etiam editis inſignis doctrinæ libris, Sacra Euchariſtia, & Vnctione percepta, complexus Crucifixi imaginem, mortem lætus aſpexit ſexto nonas Maij milleſſimo quadrigenteſſimo quinquageſſimo nono. Miraculis viuens, & poſt mortem conſpicuus, Sanctorum numero adſcriptus eſt ab Adriano Sexto anno Domini milleſſimo quingenteſſimo vigeſſimo tertio.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum. 20.

In tertio Nocturno Homilia in Euangel. Homo peregrè proficiſcens. *de Communi Confeſſoris Pontificis.*

Miſſa de Communi Conf. Pontif. Statuit. *Orat. prop.* Sancti Antonini Domine *vt ſupra.*

DIE XIJ. MAIJ.

In feſto Sancti Dominici Calciatenſis Confeſſoris. Semiduplex pro Hiſpaniarum Regnis.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea quæ habentur propria.

Oratio.

CLementiſſime Deus, qui Beatum Dominicum Confeſſorem tuum egregijs virtutibus illuſtrare dignatus es, concede quæſumus, vt cuius hodie natalitia celebramus, eius interceſſione á peccatorum noſtrorum nexibus liberari, & illius conſortio in cœlis perfrui mereamur. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

DOMINICVS CALCIATENSIS Villoloriæ in finibus Cantabriæ, illuſtri genere natus, qualis adulta futurus eſſet ætate in iuuenilibus annis plurima virtute, & pietate monſtrauit. Itaque

quc ante annum ætatis vigeſimum. Diuino ſuccenſus ardore, mundana cuncta contemnens, Deo adhærere, eiuſque firmiter obedire mandatis, ſecum ſtudioſe conſtituit. Id verò ſub Regulari diſciplina, ſe facilius conſecuturum exiſtimans, primùm ad Abbatem Vallis Venariæ Ordinis Sancti Benedicti, deinde ad Monaſterium S. Æmiliani eiuſdem Inſtituti, ſupplex acceſſit, vt in Monachorum conſortium admitteretur. Paſſus tamen vtroque loco repulſam, Deo illum ad maiora diſponente, in oratione aſſidua, varijſque corporis cruciatibus, per quinquennium vitam duxit eremiticam in deſerto Burebæ, conſtructo humili tugurio, & Deiparæ Virginis ſacello.

℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et dedit illi claritatem æternam.

Lectio v.

AUditâ porrò fama ſanctiſſimi Viri Gregorij Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis, Sedis Apoſtolicæ Legati, qui ſuis apud Deum precibus, & ſalutaribus ad populum monitis, vniuerſam Cantabriæ, & Nauarræ regionem à multis liberauit ærumnis, ad eum Lucronij hærentem acceſſit, ſub cuius diſciplina mirum in modum profecit, numquam ab eo paſſus diuelli, donec vir ſanctus è viuis exceſſit. Tanto deſtitutus magiſtro, denuò ad vitam regreſſus eremiticam, eo conſtitit loco, quo nunc requieſcit, haud procul à via regia, qua iter erat ad Sancti Iacobi Compoſtellanam peregrinationem denſis ſyluis, & latronum incurſibus periculoſum, paludibus, & cænoſis anfractibus nimis moleſtum, tranſuerſi fluminis alluuione frequenter imperuium.

℞. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradiſi coronauit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

COmpaſſus itaque vir Sanctus tot, tantiſque peregrinorum incommodis, Deo multis modis mirabiliter propitiante, ſyluam, nemora, lucos ſuccidit, viam regiam longè lateque ſtrauit, fluminis impetus, nobili ſuper inducto ponte, qui etiam nunc cernitur, ſuperauit: domum amplam peregrinis, & ægenis excipiendis ædificauit, & Chriſti Saluatori Templum, quod poſteà confluentibus vicinis populis, Vrbemque à Sancti viri nomine nuncupatam, conſtruẽtibus,

tibus, Cathedra inſignitum eſt Epiſcopali. Multis demum virtutibus, & miraculis illuſtris, ſuperatis annis nonaginta, obdormiuit in Domino anno milleſimo centeſimo nono, conditus in tumulo, quem ipſe ante annos ſeptem, ſibi præparauit.

℟. Iſte homo perfecit omnia quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cœleſtia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Homil. ſuper Euangel. Sint lumbi veſtri præcincti, *vt in Communi.*

Miſſa: Os iuſti. *cum Oratione vt ſupra.*

DIE XIIJ. MAIJ.

In feſto Beati Petri Regalati Confeſſor. Semiduplex ad libit. in Regnis Hiſpaniarum. Ex conceſſione Sac. Rit. Congregat. 23. Nouemb. 1686.

Omnia de Communi. Confeſſ. non Pontif. præter ea, quæ hic ſunt propria.

In Hymno: Iſte Confeſſor. *mutatur tertius verſus.*

Oratio.

DEus, qui dilectum famulum tuum Petrum, carne mortificatum ad delicias gloriæ tuæ aſſumere dignatus es: concede propitius; vt ad delectationes, quæ in dextera tua ſunt vſque in finem, meritis eius & interceſſione peruenire valeamus. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

PEtrus, cognomento Regalatus, Vallis-Oleti in Hiſpania nobilibus æquè, ac pijs parentibus ortus, ab ipſa pueritia non leuia dedit futuræ ſanctitatis inditia. In illa namque ætate nihil puerile ſapiens, coæqualium abſtinebat conſortio, & in ſolitarijs latitando receſſibus, vni vacabat rerum cœleſtium contemplationi, iam tùm à Deo in benedictionibus dulcedinis præventus. Flagellis, ieiunijs, alijſque pœnarum generibus ſe iugiter macerans, carnem intra ſubiectionem ſpiritus continebat; virginitatis, quam ad mortem vſque ſeruauit, ſolicitus cultor. His itaque exercitijs ad ſtrictiorem viuendi formam ſe comparans, ea breui iecit fundamenta, quæ in heroica virtutum mox conſurrexere faſtigia. Minorum regulam primùm in Patria profeſſus eſt, deinde in Aquileriano Cœnobio reſtitutæ obſeruantiæ præcipuus adiutor, & promotor fuit. Cuius tàm rigidi inſtituti primordia auidè amplexus, firmiter tenuit, & plenè conſummauit.

℟.

℞. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

SIlentium illi perpetuum, ſomnus breuiſſimus, iuges ex dono lachrymæ, quibus precipuè in ſacro conficiendo myſterio perfundebatur, flagellationes cruentæ, inceſſus nudis pedibus, veſtis tunica vna lacera, & hiſpida, lectus vel palea, vel humus, ieiunium iuxta ſui inſtitutoris exēplum ad nouem Quadrageſimas vſque protractum, cibuſque vt plurimùm panis, & aqua. Euangelicæ paupertatis mirificus propugnator, & cuſtos, ob cuius exquiſitam obſeruantiam in graues etiam, & frequentes offendit iniurias: quas immoto, alacrique animo ſubiens, Diuinam pro calumniantibus, & oppugnatoribus exorabat clementiam. Quanto in Deum exardeſceret amore, ex eo potiſſimùm apparuit, quod ſi aliquos inueniſſet leproſos, domum adduceret, eorumque vlcera lingua etiam detergeret. Fratrum regimen ſubire coactus omnibus numeris expleuit officium, & quos priuato iam pridem informarat, publico deindè confirmabat exemplo.

℞. Amauit eum Dominus 9.

Lectio vj.

ASperrimum vitæ genus Aquileriæ incœptum, in Conuentu de Scala Cœli, ad Durij ripam propè Vallis Oletum fundato, firmiter ſtabiliuit; vnde ad diuerſas Hiſpaniæ, Indiarumque Prouincias extenſum. Annum denique agens ſexageſimum ſextum, auſteritate vitæ confectus, & mortem ſibi vicinam præſentiens, Aquileriam perrexit, vt ibi Deo ſpiritum redderet; vbi rigoroſi inſtituti ſumpſit exordium. Febri correptus, alumnis ad exactam regulæ obſeruantiam cohortatis, ſuaque benedictione munitis, ad illa verba: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, migrauit in cœlum pridie Kalendas Aprilis, anno reparatæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto. Cuius viri ſanctitatis fama, quæ vbique iam percrebuerat, Regina Catholica Eliſabeth permota, ſolemni indicta Proceſſione, & adſtantibus nonnullis Epiſcopis, & Clero, eius corpus, quòd in communi Fratrum repoſitum fuerat ſepultura, in decentiori, & nobiliori tumullo reponendum curauit. Quare ex confluentium multitudine, multis inde obtentis beneficijs recedentium, ſerui Dei cultus mirificè propagatus eſt. Quo ſolemniter à Sacra Rituum Congregatione approbato, Innocentius Papa Vndecimus de ipſo Miſſam, & Officium die tertia decima Maij celebrari conceſſit.

℞. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno Homilia

ſancti

ſancti Gregorij Papæ in Euang. Sint lumbi veſtri præcincti. *de eodem Communi.*

Miſſa: Os iuſti. *de eodem Communi cum prima Oratione propria vt in Officio.*

DIE XV. MAIJ.

In feſto ſancti Iſidori Agricolæ Confeſſor. Duplex, cum Octaua ad libitum in Reguis Caſtellæ.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. præter ea, quæ ſequuntur.

Capitulum. *Iac. cap. 5.*

ECce Agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote, & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduentus Domini appropinquauit.

Ad Magnificat, Aña.

Labores manuum ſuarum quia manducauit, eſurientem impleuit bonis Dominus Deus noſter, alleluia.

Oratio.

DA nobis, miſericors Deus, Beato Iſidoro Agricola Confeſſore tuo intercedente, ſuperbè non ſapere: ſed eius meritis, & exemplis placita tibi ſemper humilitate deſeruire. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno.

De Epiſtola Beati Iacobi Apoſtoli.

Lectio j. *Cap. 5. à 7.*

PAtientes igitur eſtote, fratres, vſque ad aduentum Domini: ecce Agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduentus Domini appropinquauit. Nolite ingemiſcere, fratres, in alterutrum, vt non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam aſſiſtit. Exemplum accipite, fratres, exitus mali laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.

℟. Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa tè conſtituam: * Intra in gaudium Domini tui, alleluia. ℣. Domine quinque talenta traddidiſti mihi, ecce aliaquinque ſuper lucratus ſum. Intra.

Lectio ij.

ECce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator. Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: vt non ſub iudicio decidatis. Triſtatur aliquis veſtrum? Oret. Æquo animo eſt? Pſallat. Infirmatur quis in vobis?

bis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

℟. Iuſtus germinauit ſicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum, alleluia. ℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Et florebit.

Lectio iij.

CONfitemini ergo alterutrum peccata veſtra & orate pro inuicem, vt ſaluemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſum orauit: & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.

℟. Iſte cognouit iuſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum: * Et inuentus eſt in numero ſanctorum, alleluia. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad Cœleſtia regna. Et inuentus. Gloria Patri. Et inuentus.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

ISidorus Agricola, propè Matritum Hiſpaniæ vrbem, in qua natus fuerat, mercede colendis agris conductus, breui magnarum ſibi virtutum eo in exercitio vberrimam ſegetem parauit. Admirabilis enim Chriſti ac Sanctorum imitator, numquam ad opus manê ſe conferebat, niſi prius Dei regnum ſtudioſé quæreret, Eccleſiaſque in ipſius, ac Deiparæ honorem dicatas viſitaret. Quare cum illius moram agri dominus grauiter ferret, atque ex editiore loco quadam die, vt eum liberius increparet, Agricolam operiretur; binos Angelos candida veſte, duplici boum iugo arantes, mediumque inter illos Iſidorum conſpexit. Quo miraculo vulgato, magno deinceps in honore, tàm apud herum quám apud cœteros homines haberi cœpit.

℟. Honeſtum fecit.

Lectio v.

CHaritate in pauperes adeò flagrauit, vt mercedem quam laboribus parabat, egentibus erogaret. Quin etiam cum aliquando ad commune cum reliquis confratribus prandium plurimos pauperes adduxiſſet, nihilque aliud, prandio ſcilicet finito, quam pulmenti partem ſibi reſeruatam reperiſſet, illam vir Dei, fide ſingulari fretus, ita diſtribuit, vt mirabiliter aucta, ijs omnibus alendis, ſaturandiſque ſufficeret. Illud etiam inter cétera mirandum, quod per æſtiuos calores, ad extinguendam in agro ſitim, aquæ potum hero flagitante, cum nullibi ſcateret, Iſidorus, ſtimulo,

mulo, quem gerebat, humo percuſſa, vberem ex ea, & perennem ad hæc vſque tempora fontem elicuit.

℞. Amauit eum Dominus 9.

Lectio vj.

IGitur ſanctitate clarus, cum ad vltimam ſenectutem perveniſſet, obdormuit in Domino: & in cœmeterio ſancti Andreæ ſepultus, tamdiù ibi iacuit, quoad ciues de ipſius corpore honeſtiùs in Eccleſia collocando diuinitùs moniti, illud in loculo integrum, atque adeò incorruptum inuenerunt, vt ex eo ſuauiſſimus odor, qui hac etiam tempeſtetate perdurat, efflaret. Sanctum corpus in Eccleſiam translatum, & in editiore loco ſitum, maximis Deus miraculis illuſtrauit. Quorum beneficientiam non ſemel, tàm ipſa Matriti ciuitas, quàm etiam cœtera Hiſpaniæ loca, ope ipſius implorata, perſenſerunt. Quem poſtremo poſt annos ferè quadringentos, fama ſanctitatis, ac miraculis illuſtrem, Gregorius Decimus quintus in Sanctorum numerum retulit.

℞. Iſte homo perfecit 10.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. *Cap.* 15.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera: & Pater meus Agricola eſt. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Lib. 7. Reg. Epiſt. 32.

PEr ſemetipſam veritas dicit: Pater meus agricola eſt, & omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: omnem verò, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Palmes enim infructuoſus tollitur, quia peccator funditùs eradicatur. Palmes vero fructuoſus purgari dicitur, quia per diſciplinam reciditur, vt ad vberiorem gratiam perducatur. Sic enim ſpicarum grana tribulis attrita, ariſtis & paleis nudantur: ſic oliuæ prælo preſſæ in olei pinguedinem defluunt: ſic botri vinearum preſſi calcibus in vinum liqueſcunt.

℞. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & de omni corde ſuo laudauit Dominum: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. ℣. Ecce homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat.

Ex eod. Tract. in ſeptem Pſalm. Pœnitent. ad 6. Pſalm.

Lectio viij.

QUi manet in verbo non fraudatur à regno. Aliter namque fructum facere non poſſumus, niſi in eo maneamus. Ideoque ait: Manete in me, & ego in vobis. Vbi enim manen-

dum niſi in ipſo? Deficient domus, palatia corruent, deſtruentur ciuitates, ab imis ſedibus turres euellentur, verbum autem Domini manet in æternum: maneamus ergo in eo qui manet in æternum.

℞. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: * Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, alleluia. ℣. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter veuturus ſit. Et vos ſimiles. Gloria Patri. Et vos.

NOn ſequamur vanitatem, deſerentes veritatem: nec contriſtemur, ſicut cœteri, qui ſpem non habent, ſed ſuſtineamus eum. Et ſi moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis, quod per Prophetam dicitur: Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam. Quicumque mundanæ aduerſitatis fractus moleſtijs, diabolicæ tentationis infeſtatione deiectus, â ſpe cœleſtium promiſſionum deciderit, ſuſtinentiæ, quam prius habuerat, mercedem amittet. Qui verò ſuſtinebit magnam reportabit remunerationem.

Te Deum Laudamus.

AD LAVDES.

& Tertiam.

Capitulum. Ecce Agricola, *vt ſupra in Veſperis.*

Ad Benedictus, Aña.

Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum, alleluia.

Oratio.

DA nobis quæſumus, miſericors Deus, B. Iſidoro Agricola Cõfeſſore tuo intercedente, ſuperbè nõ ſapere: ſed eius meritis, & exemplis placita tibi ſemper humilitate deſeruire. Per Dominum noſtrum.

Ad Sextam.

Capitulum. Iac. cap. 5.

ECce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.

Ad Nonam.

Capitulum. Iac. 5.

MVltum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orauit; & Cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.

In ſecundis Veſperis ad Magnificat. *Aña.* Ecce homo agricola iſte fuit, quoniam Adam exemplum eius ab adoleſcentia ſua, ad ſeruiendum Deo viuenti, alleluia.

Extra Matritum fit Commemorat. ſancti Vbaldi Epiſcop. & Confeſſ.

Miſſa propria: Vbi verò non habetur dicatur: Iuſtus vt palma.

de

de Communi Confeſ. non Pontif. cum orat. propria, & Euangel. Ego ſum vitis vera. *de Communi martyr. Tempore Paſchali.*

OFFICIVM

Recitandum die XV. Maij, vel prima non impedita, poſt feſtum ſancti Iſidori vt in Bulla.

In feſto ſancti Torquati Epiſcopi, & Martyris. Semiduplex.

Omnia dicuntur de Communi Martyrum tempore Paſchali, vel extra tempus Paſchale, præter ea, quæ hic aſſignantur.

In primis Veſperis, ad Magnificat. Ana. Gaude felix Accitana Ciuitas, quia in te recepiſti Beatum Torquatum, fidem Chriſti prædicantem, alleluia.

Oratio.

DEus, qui nos per Beatum Torquatum Martyrem tuum atque Pontificem, ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, de eiuſdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum, &c.

Lectiones primi Nocturni. A Milecto, *de communi*

In primo Nocturno.

Lectio jv.

QVo tempore primam in Chriſtianos perſecutionem Nero immaniſſimus Imperator excitauit, Beatiſſimi Apoſtoli Petrus, & Paulus, Torquatum, Cteſifontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Heſychium, & Euphraſium, beati Iacobi Apoſtoli diſcipulos, Epiſcopos Romæ ordinarunt, & ad prædicandum Chriſti Euangelium in Hiſpaniam miſerunt. Cum autem ad eam prouinciam perveniſſent, propè Accitanam vrbem in viridi campo, vt longitudine itineris laſſati aliquantulùm quieſcerent, conſtiterunt. Cumque ad Ciuitatem victus emendi cauſa aliquos miſiſſent; pagani, qui tunc fortè Deorum ſuorum feſta debaccantes peragebant, viſis diuerſi habitus, ac religionis peregrinis hominibus, in eos furentes proſiliunt, & ad Sanctos peruenientes, omnes pariter in fugam actos, vſque ad flumen proſequuntur.

℞. Vt in communi.

Lectio v.

SEd vt viri Dei pontem pertranſierunt, pons, qui miræ magnitudinis, & firmiſſimus erat concidit, & gentilium multitudinē ſanctos perſequentē pariter oppreſit, ac demerſit in aquas. Quo miraculo accolæ territi, eos poſtea reuocare, & in honore habere cæperunt. In primis Luparia quædam præclara mulier benignè eos accepit, atque ab his fidem edocta, in oratorio, quod ipſa conſtruxerat, baptizata eſt: Cuius exemplo quam plurimi in Chriſtum credentes, relictis idolis, Baptiſmi Sacramentum

ſuſceperunt.

Lectio vj.

HUius igitur Urbis (quæ tunc prima Chriſti Domini fidem in Hiſpania recepit) beatus Torquatus Epiſcopus deſignatus eſt: ac cæteris ad alias Hiſpaniæ terras abeuntibus, ipſe Acci remanſit, vbi multis pro Chriſto perfunctus laboribus, demum martyr occubuit. Eius corpus in eadem vrbe (quæ nunc Guadix appellatur) primò ſepultum eſt. Iuxta cuius ſepulchrum olim arbor oliuæ erat, quæ in natali martyris florebat, ſimulque fructus vberes emittebat: é quibus oleum expreſſum, ad varios morbos curandos adhibebatur. Inde in Gallæciam translatum, in quodam cœnobio Ordinis Sancti Benedicti, condigno honore aſſeruatur. Sodales Sancti Torquati, & ipſi in varijs vrbibus Epiſcopi conſtituti Chriſti Euangelium prædicarunt, & in eis quieuerunt: Cteſiphon Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius Illiberi, Heſychius Carteiæ, Eufraſius Illiturgi, quorum corpora, ad alias poſtea Hiſpaniæ Urbes translata ſunt.

In tertio Nocturno.

Homilia ſuper Euangelium: Ego ſum vitis vera & Pater meus Agricola eſt.

Vt in communi, vel Homilia ſuper Euangelium. Si quis venit ad me, *de communi vnius Martyris extra Tempus Paſchale.*

Ad Benedictus. Aña.

DUm beatus Torquatus ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium Accitanis prædicaret: nobilis Matrona Luparia nomine fidem Chriſti ſuſcepit: ad cuius exemplum magna pars ciuitatis baptizata eſt, alleluia.

In ſecundis Veſperis. Ad Magnificat. Aña.

BEatus Antiſtes Torquatus, in Ciuitate Accitana à paganis necatus, illuſtre fidei teſtimonium Chriſto Domino reddidit, alleluia, alleluia.

DIE XVIJ. MAIJ.

In feſto ſancti Paſchalis Baylon. Semiduplex in Regnis Hiſpaniarum recitandum.

Oratio.

DEus, qui Beatum Paſchalem Confeſſorem tuum mirifica erga Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria dilectione decoraſti; concede propitius, vt quam ille ex hoc Diuino conuiuio ſpiritus percepit pinguedinem, eandem, & nos percipere mereamur. Qui viuis, &c.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

PAſchalis Baylon, pauperibus, pijſque Parentibus in Oppido Thurris Formoſæ Seguntinæ Diœceſis in Aragonia natus, á teneris annis plura dedit futuræ Sanctitatis indicia. Sortitus animam bonam, ac rerum

cœleſtium apprimè ſtudioſam, pueritiam, atque adoleſcentiam in gregis cuſtodia tranſegit: quam ille viuendi rationem, ideò, præcipuè diligebat, quod humilitati fouendæ, ac innocentiæ conſeruandæ in primis vtilem, atque opportunam iudicaret. Erat in victu modicus, in oratione aſſiduus, tantaque apud coæuos, & ſocios florebat authoritate, & gratia, vt eorum lites componens, errores corrigens, ignorantiam erudiens, diſſidiam excitans, velut omnium parens, & magiſter maximo ſtudio coleretur, ac amaretur: Beatus etiam tum à pleriſque appellatus. Tu autem.

Lectio v.

QVi verò in ſæculo, terra, nempè deſerta, & inaquoſa, adeò feliciter adolerat, flos conuallium, plantatus in domo Domini mirum vbique ſparſit Sanctitatis odorem. Igitur Paſchalis arrepto vitæ ſeuerioris inſtituto, atque in Ordine Minorum Strictioris Obſeruantiæ Diſcalceatorum cooptatus, exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam, totumque ſe Domino excolendum tradens, dies, noctesque cogitabat, qua ſe ratione magis ei, magiſque conformaret. Ita factum eſt breui, vt eum tanquàm Seraphicæ perfectionis exemplar ipſi quoque prouectiores imitandum ſibi proponerent. Ipſi autem in humili ſeruientium gradu conſtitutus, ſe velut omnium peripſema reputans, ardua quæque, & abiecta domus miniſteria, velut iure quodam peculiari ſibi debita ſumma cum hilaritate ſuſcipiebat, & exercebat humilitate, ac patientia pari. Carnem ſpiritui quandoque reluctari nitentem iugi maceratione afflictauit, atque in ſeruitutem redegit; Spiritum verò aſſidua ſui abnegatione feruentiorem in dies ad anteriora extendebat. Tu autem.

Lectio vj.

DEiparam Virginem, cuius clientelæ ſe ab ineunte ætate dicauerat, tanquam Matrem quotidianis colebat obſequijs, atque filiali exorabat fiducia. Porrò erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum difficile dictu eſt, quam ardenti teneretur deuotionis affectu, quē defunctus etiam in cadauere retinere viſus eſt, dum iacens in feretro ad ſacræ Hoſtiæ eleuationem bis oculos reſerauit, & clauſit, magna omnium, qui aderant admiratione. Eiuſdem veritatem inter hæreticos publicè, palamque profeſſus, multa, & grauia ob eam cauſam perpeſſus eſt: crebrò etiam ad necem petitus, ſed ſingulari Dei prouidentia impiorum manibus ereptus. Sæpè inter orandum omnibus deſtituebatur ſenſibus, dulcique languebat amoris deliquio:

liquio: quo tempore cœleſtem illam ſcientiam hauſiſſe creditus eſt, qua homo rudis, & illiteratus de myſterijs Fidei difficilimis reſpondere, atque aliquot etiam libros conſcribere potuit. Denique meritis plenus eadem qua prædixerat hora feliciter migrauit ad Dominum, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, ſexto decimo Kalendas Iunij, eodem quo natus fuerat Feſto Penteco-ſtes recurrente, annum agens ſecundum ſupra quinquageſimum. Quibus alijſque virtutibus inſignem, ac miraculis, tám in vita, quám poſt mortem clarum, Paulus Quintus Pontifex Maximus illum Beatum appellauit: Alexander autem Octauus Sanctorum Catalogo adſcripſit. Tu autem.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 11. v. 25.*

IN illo tempore: Reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. *Et reliqua.*

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Expoſ. moral. in Iob. lib. 34. *c.* 17.

AUdiant ſimul omnes. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Audiant omnes. Immundus eſt apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum. Audiant omnes: Quid ſuperbis terra, & cinis? Contra huius languoris peſtem audiamus cuncti, quid magiſtra veritas docet dicens: Diſcite á me, quia mitis ſum, & humilis corde. Adhoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit; adhoc inuiſibilis, non ſolùm viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit; adhoc contumeliarum ludibria, irriſionum opprobria, paſſionumque tormenta tolerauit, vt ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Tu autem.

Lectio viij.

QUanta ergo humilitas virtus eſt, propterquam ſolam veraciter edocendam is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, vſque ad paſſionem factus eſt parvus! Quia enim originem perditioni noſtræ ſuperbia præbuit diaboli, inſtrumentum redemptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei. Hoſtis quippè noſter magnus inter omnia conditus videri ſuper omnia voluit elatus. Redemptor autem noſter magnus manens ſuper omnia dignatus eſt paruus. Quia igitur Redemptor noſter corda regit humilium, & Leuiathan iſte rex dicitur ſuperborum, apertè cognoſcimus, quod euidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt, at contra humilitas electorum. Tu autem.

Le-

Lectio ix.

CVm ergo quam quiſque habeat, cognoſcitur: ſub quo rege militet, inuenitur. Vnuſquiſque enim quaſi quemdam titulum portat operis, quò facilè oſtendat ſub cuius ſeruiat poteſtate rectoris. Vnde, & per Euangelium dicitur: ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Ne igitur nos Leuiathan iſtius membra, vel mira faciendo fallerent, apertunt ſignum Dominus quo deprehendi valeant demonſtrauit, dicens: ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Qui, & ſi quando fictam ſpeciem humilitatis aſſumunt, ſemetipſos tamen celare in omnibus nequaquam poſſunt: quia eorum ſuperbia diù latere non ſuſtinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui verò ſub rege humilitatis militant, ſemper pauidi, atque ex omni latere circumſpecti aduerſum iacula elationis pugnant, & quaſi contrauenientes ictus ſolùm magis in ſuo corpore oculum cuſtodiunt, dum in ſemetipſis principaliter humilitatem tuentur. Te Deum.

DIE XXX. MAIJ.

In feſto ſancti Ferdinandi Regis Hiſpaniarum Confeſ.

In omnibus Regnis Hiſpaniar. Regi ſubiectis, ac in Eccleſia S. Iacobi, & Ildefonſi de Vrbe, nationis Hiſpan.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. præter Orationem & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

DEus, qui beato Confeſſori tuo Ferdinando præliari prælia tua, & Fidei inimicos ſuperare dediſti: concede, vt eius nos interceſſione muniti, ab hoſtibus mentis, & corporis liberemur. Per Dominum noſtrum.

Imprimis Veſper. & Laudib. fit commemorat. ſancti Felicis Papæ, & martyr. cum nona Lectione de eo.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

FErdinandus Tertius, Caſtellæ, & Legionis Rex, cui Sancti cognomentum iam inde à quatuor ſæculis Eccleſiarum, & ſæculorum conſenſus dedere, tantum prudentiæ adoleſcens adhuc ſpecimen prębuit, vt Berengaria mater Caſtellæ Regina, á qua perſanctè educatus fuerat, abdicatum à ſe regnum in filium tranſtulerit. In eo, adiunctis regni curis, regiæ virtutes emicuere, magnanimitas, clementia, iuſtitia, & præ cœteris Catholicæ Fidei zelus, eiuſque religioſi cultus tuendi, ac propagandi ardens ſtudium. Id præſtitit in primis hæreticos inſectando, quos nullibi Regnorum ſuorum conſiſtere paſſus, proprijs ipſe manibus ligna

comburendis damnatis ad rogũ aduehebat. Præſtitit inſuper in erigendis, dotandis, & conſecrandis Chriſtiano ritu Cordubenſi, Giennenſi, Hiſpalenſi, & aliarum vrbium Eccleſijs, Maurico eruptarum iugo: ſimulque in inſtaurandis primarijs Templis Toletano, Burgenſi, & alijs pia & regia munificentia.

℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

INter hæc, per Caſtellæ, & Legionis regnum, in quo patri Alfonſo ſucceſſerat, collectis magnis exercitibus, annuas expeditiones contra Saracenos, Chriſtiani nominis hoſtes, ſuſcepit. In queis, vt ſemper vinceret, præcipui exercitus fuere preces pijſſimi Regis ad Deum fuſæ, & quod ante pugnam, vt ſibi Deum propitiaret, flagris in ſe ſæuiebat, atque aſpero cilicio muniebat corpus: ſicque inſignes contra ingentes Maurorum acies victorias reportauit, & plures vrbes Chriſtiano cultui, imperioque reſtituit: & conquiſitis Giennij, Cordubæ, & Murtiæ regnis, ac Granatenſi vectigali facto, ad expugnandam Hiſpalim, primariam Bœticæ vrbem, hortante in viſione (vt traditum eſt) beato Iſidoro, olim illius vrbis Epiſcopo, victricia ſigna tranſtulit. In ea obſidione (vt fertur) præſentem Diuinam opem habuit; nam ferream catenam, quæ ſuper Bætim tranſuerſim extenſa, Mahometanis pro repagulo erat, coorto validiori vento, vna ex nauibus regijs, iuſſu Regis eo delata, tanto impetu fregit, vt longius prætervecta, pontem quoque ligneum, & ſimul ſpes Maurorum obruperit, & ad deditionem coegerit.

℟. Amauit eum Dominus. 9.

Lectio vj.

TOt victorias beatæ Virginis Mariæ patrocinio ferebat aceptas; cuius imaginem ſecum in caſtris habens, peculiari cultu proſequebatur. Capta Hiſpali, prima Religionis cura fuit; nam Templum Maurorum expiatum, & Chriſtianorum dedicatum ſacris, inſigni Archiepiſcopatu, & honeſtiſſimo Canonicorum, & Dignitatum Collegio, regia, & religioſa liberalitate exornauit. Alia deinde in vrbe Templa, & Cœnobia erexit: inter quæ pietatis officia, dum trajiere in Africam parat, Mahometanum in ea imperium euerſurus, ad cœleſtem regiam vocatur. In extremo vitæ agone Sacram Euchariſtiam pro Viatico allatam, fune ad collum alligato, & humi ſtratus, cum lachrymis vbertim fuſis adorans, eaque dignis reuerentiæ, humilitatis, & Catholicæ Fidei obteſtationibus accepta, obdormiuit in Domino. Iacet eius corpus, incorruptum adhuc poſt quatuor ſæcula, in Templo maximo

Hiſ-

Hiſpalenſi, honorificentiſſimo incluſum ſepulcro.

℟. Iſte homo perfecit. 19.

In tertio Nocturno Homilia.

Venerabilis Bedæ Presbyteri in Euangelium: Nolite timere puſillus grex. *de Communi Confeſſ. non Pontif.*

Miſſa: Iuſtus vt palma. *de eodem Communi. Oratio vt ſupra.*

DIE X. IVNIJ.

In feſto ſanctæ Margaritæ Scotorum Reginæ. Semiduplex de præcepto.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virgin. nec Martyr. præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

DEus, qui beatam Margaritam Scotorum Reginam eximia in pauperes charitate mirabilem effeciſti: da, vt eius interceſſione, & exemplo tua in cordibus noſtris charitas iugiter augeatur. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

MArgarita, Scotorum Regina, paterno Angeliæ Regum, materno Cæſarum ſanguine clariſſima illuſtrior adhuc fuit Chriſtiana virtute. Hæc in Hungaria nata, vbi pater tunc temporis exulabat, poſt exactam ſumma cum pietate puerilem ætatem, vna cum genitore, qui à ſancto Eduardo patruo Anglorum Rege ad paterni regni faſtigium vocabatur, in Angliam venit. Mox alternante parentum fortuna, ex Angliæ littore ſoluens, vi tempeſtatis expulſa, ſeu verius Diuinæ prouidentiæ conſilio, deducta eſt in oram maritimam Scotiæ. Ibi cùm ex matris imperio Malcholmo Tertio, Scotorum Regi, egregijs eius dotibus capto, nupſiſſet, ſanctimoniæ ac pietatis operibus triginta, quibus regnauit annis, toti regno mirificè profuit.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

INter regales delicias corpus afflictationibus, ac vigilijs macerans, magnam noctis partem pijs precationibus extrahebat. Præter alia ieiunia, quæ identidem vſurpabat, integros quadraginta dies ante natalitia feſta tanta cum ſeueritate ieiunare conſueuit, vt ne in grauiſſimis quidem doloribus intermiſerit. Diuino cultui addictiſſima, templa plurima, & cœnobia partim ex integro excitauit, partim reſarciuit, & ſacra ſupellectili, ac largo cenſu ditauit. Regem coniugem ad meliorem fru-

frugem, & ad ſimilia ſuis exercitationibus opera ſaluberrimo exemplo traduxit: liberoſque omnes tam ſanctè, & feliciter educauit, vt eorum plerique, quemadmodum & Agatha mater, & Chriſtina ſoror, ſanctiſſimum vitæ genus amplexi ſint. Vniuerſi demum regni felicitati conſulens, á vitijs omnibus, quæ furtim irrepſerant, populos expurgauit, eiſque mores Chriſtiana pietate dignos reſtituit.

℞. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Proterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtiam. Propterea.

Lectio vj.

NIhil tamen æquè in illa mirabile fuit, ac flagrantiſſima charitas erga proximos præſertim egenos, quorum numeroſis gregibus non modò ſtipem affatim ſuppeditare, verùm etiam trecentis quotidie materna benignitate dapes præbere, flexis genibus in morem ancillæ miniſtrare, regijs manibus pedes abluere, & præſſis etiam oſculis vlcera fouere, ſolemne habuit. His porrò alijſque pijs ſumptibus non regias tantùm veſtes, & pretioſa monilia diſtraxit, ſed ipſum non ſemel exhauſit ærarium. Toleratis demùm ad patientiæ miraculum acerbiſſimis doloribus, animam ſemeſtri corporis ægrotatione purgatam, Auctori ſuo quarto Idus Iunij reddidit. Quo temporis momento facies eiusdiuturni morbi macie ac pallore fœdata, inſolita quadam venuſtate refloruit. Miris etiam poſt mortem prodigijs clara, & Clementis Decimi auctoritate in Scotiæ Patronam accepta, vbique terrarum religioſiſſimè colitur. Cuius feſtum ab eodem Pontifice conceſſum, Innocentius Undecimus ad octauum Idus Iulij transferri iuſſit.

℞. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito. *de eodem Communi.*

Miſſa: Cognoui Domine. *de Commun. nec Virgin. nec Mart. Oratio.* Deus, qui beatam Margaritam.

DIE XVIIJ. IVNIJ.

In feſto Sanctorum Martyrum Cyriaci, & Paulæ Virgin. Duplex in Regnis Caſtellæ, & Legionis.

Totum Officium fit de communi plurim. Martyr. præter illa, quæ hic aſſignantur propria.

Oratio.

PRæſta quæſumus, Omnipotens Deus, vt familia tua, quæ Sanctorum Martyrum tuorum Cyriaci, & Paulæ triumphis gloriatur, fiat in Chriſti tui amore feruentior: & quos Patronos veneratur in terris; pios apud te interceſſores habere mereatur in cœlis. Per eumdem Dominum.

Et fit commemorat. Sanctorum Marci, & Marcelliani Martyrum, Aña. & ℣. de Laudibus,

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

QUo tempore immanis illa Diocletiani, & Maximiani perſecutionis rabies in Chriſti quæque membra furens deſæuit; tanta Martyrum extitit laureata multitudo, quo durauit decennio: vt intra vnum meſem decem, & ſeptem millia Chriſtianorum, martyrij palmam ſint conſequuti. Tunc Hiſpania noſtra ſtrenuis Chriſti militibus abundat: fulget Bœtica Sanctorum confeſſione præclara, carceres, & ergaſtula replentur Martyrum turmis, tribunalia Chriſti confeſſionem reſonant, reſpuuntur idola, ſanguinem ſacrum homines Deo digni vitæ prodigi fundunt. Aſpiceres tunc Hiſpali Ruffinam, & Iuſtam cum Diogeniano pugnare: Cæſar auguſtæ Encratidem nobilibus ſocijs ſtipatam, crudeli Daciano ceruices lætiſſimè tradere; innumerabilium martyrum corpora illius iuſſu, ibidem igne cremari: Valerium alioſque ſacros Antiſtites dira pati, & exulare: Toleti Leocadiam cuſtodia detentam occumbere: Compluti tenellos Paſtorem, & Iuſtum, tabellis litterarijs in ſchola abiectis, ſponte Dacianum adire, mortem oppetere, ingulumque carnifici exultantes offerre: Cordubæ Aciſclum, & Victoriam fratres de Dione triumphare: Malacæ quoque Cyriacum, & Paulam animas pro Chriſto libentiſſime dare: alios denique alibi dira ſupplicia, & mortem pati. Quod longum nimis eſſet enarrare.

℞. Sancti tui Domine. 26.

Lectio v.

PRæclariſſimi ergo athletæ Chriſti Cyriacus, & Paula Virgo Malacæ pagano iudici ſiſtuntur, cui ſuæ fidei rationem dant: pro qua etiam tuenda, innumera ſuppliciorum cruciamenta perpeſſi ſunt. Et cum ab ea nullatenùs dimoueri poſſent, impius iudex vitam illis adimere tentans, lapidibus impeti mandat. Martyres ſacri læti properant ad pugnam, animoſi lapides excipiunt, ſaxis ſacra corpora tunduntur, lapidibus obruti occumbunt. Et inter ipſa crepitantia ſaxa animas cœlo reddiderunt circa trecenteſimum ſalutis annum decimo quarto Kalendas Iulij: Sacro Martyrum ſan-

ſanguine nobilis Malacitana ciuitas eſt purpurata. Quæ poſt ſexcentos ſeptuaginta annos à perfidis Mahumetanis poſſeſſa, in Chriſtianorum ditionem redijt, decima nona Auguſti anno Domini milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo, Catholicis Ferdinando, & Eliſabeth regnantibus, qui ipſa die nobiliſſimam capientes ciuitatem, ouantes ſunt ingreſſi.

℟. Verbera carnificum. 17.

Lectio. vj.

CUm autem præfati Reges Mahumeti ſpurcitiam ab vrbe Malaca expellunt, lætantes pro parta victoria gratias rependunt Deo: ac Innocentium Octauum Petri Cathedram tunc moderantem victoriæ adeptæ conſcium faciunt. Quibus pro capta victoria, fideque ad domicilium antiquum reſtituta, lætùs Romanus Pontifex reſcribit, certos faciens Catholicos Principes, Malacitanam vrbem Sanctorum Cyriaci, & Paulæ martyrijs ſacratam: quodquè Protho martyri Stephano lapidibus obruti fuerunt ſimiles. Quare ſacri martyres in tutelares, & patronos ab incolis ſunt aſciti, ſacro illorum nomini templo ſtructo. In quorum celebri feſto Clerus, Senatuſque ſolemni, & frequenti cætu ad ſacram ipſorum Ædem conuenientes, Sanctorum Martyrum ptetioſiſſimę in conſpectu Domini mortis memoriam feſtiuis gaudijs quotannis celebrant.

℟. Tanquam aurum. 17.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel. Cum audieritis prælia. *de Communi plurimor. Martyrum.*

Nona Lectio, & Commemor. Ss. Marci, & Marcelliani. Aña. & ℣ vt in primis Veſperis.

In ſecundis Veſper. fit Commemorat. Ss. Martyrum Geruaſij, & Prothaſij.

OFFICIVM COMMEMORATIONIS

ſolemnis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Duplex maius.

In omnibus Regnis Hiſpaniar. Regi ſubiectis, ex conceſſione Clementis Decimi.

AD VESPERAS.

Aña. Pulchra es. *cum reliquis de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis vt in Offic. Paruo beatæ Mariæ Virginis.*

Capitulum. Eccl. 24.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.

Hymnus. Aue maris ſtella.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad

Ad Magnificat, Aña.

AVe Regina Cœlorum, aue Domina Angelorum: ſalue radix ſancta, ex qua mundo lux eſt orta: gaude virgo glorioſa ſuper omnes ſpecioſa: vale ò valde decora, & pro nobis ſemper Chriſtum exora.

Oratio.

DEus, qui beatiſſimæ ſemper Virginis, & genitricis tuæ Mariæ ſingulari titulo Carmeli Ordinem decoraſti: concede propitius; vt cuius hodie Commemorationem ſolemni celebramus officio, eius muniti præſidijs, ad gaudia ſempiterna peruenire mereamur. Qui viuis & regnas.

In fine Hymn. Completor. & Horar. dicatur. ℣. Ieſu, tibi ſit gloria, qui natus es de Uirgine.

Ad Matutinum Inuitatorium.

In honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis: * Iubilemus Domino. *Pſalmus.* Venite, exultemus. *Hymnus.* Quem terra.

In primo Nocturno.

Aña. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Pſalm.* Domine Dominus noſter. *cum reliq. vt in Offic. Paruo. Aña.* Beata mater, & intacta Uirgo, glorioſa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum. *Pſal.* Cœli enarrant. *Aña.* Dignare me laudare te, virgo ſacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos. *Pſalm.* Domini eſt terra. ℣. Sancta Dei genitrix virgo ſemper Maria. ℟. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 8.

EGo ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & ſuperbiam, & viam prauam, & os bilingue deteſtor. Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtiam. Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me: inuenient me.

℟. Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

Lectio ij.

MEcum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum,

&

& ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui molle conſtiterant: ante colles ego parturiebar.

℞. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum: * Quia cum eſſem paruula, placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui Deum & hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes: quia ancillam humilem reſpexit Deus. Quia cum.

Lectio iij.

BEatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes, qui me oderunt, diligũt mortem. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.

℞. Continet in gremio cælum, terramque regentem: * Virgo Dei genitrix, proceres comitantur heriles, per quos orbis ouans Chriſto ſub Principe pollet.

℣. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Virgo. Gloria Patri. Virgo.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Specie tua, & pulchritudine tua intende proſperè procede, & regna. *Pſalm.* Eructauit. *Aña.* Adiuuauit eam Deus vultu ſuo: Deus in medio eius, non commouebitur. *Pſalm.* Deus noſter refugium. *Aña.* Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te, ſancta Dei genitrix. *Pſalm.* Fundamenta eius. ℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti. ℞. Dei genitrix intercede pro nobis.

Lectio iiij.

CVm ſacra Pentecoſtes die Apoſtoli cælitus afflati, varijs linguis loquerentur, & inuocato auguſtiſſimo Ieſu nomine, mira multa patrarent, viri plurimi, qui veſtigijs ſanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliſæi inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti aduentum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta, atque probata, euangelicam Fidem confeſtim amplexati ſunt: ac peculiari quodam affectu, beatiſſimam Virginem (cuius colloquijs, ac familiaritate fœliciter frui potuere) adeo venerari cœperunt, vt primi omnium in eo Montis Carmeli loco, vbi Elias olim aſcendentem nebulam, Virginis typo inſignem, conſpexerat, eidem

pa-

puriſſimæ Virgini Sacellum conſtruxerint.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in mõte Sion: quaſi myrrha electa: * Dedi ſuavitatem odoris. ℣. Et ſicut cinamomum, & balſamum aromatizans. Dedi ſuavitatem.

Lectio v.

AD nouum ergo Sacellum ſæpè quotidie conuenientes; ritibus pijs, precationibus, ac laudibus beatiſſimam Virginem, velut ſingularem Ordinis tutelam colebant. Quam obrem fratres beatæ Mariæ de Monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modo confirmarunt, ſed & Indulgentias peculiares ijs, qui eo titulo vel Ordinem vel Fratres ſingulos nuncuparent, conceſſere. Nec verò nomenclaturam tantum magnificentiſſima Virgo tribuit & tutelam, verum & inſigne, ſacri Scapularis, quod beato Simoni Anglico præbuit, vt cæleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum, cum olim in Europa ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione inſtarent, aſtitit Honorio noctù pijſſima Virgo Maria, planèque iuſſit, vt inſtitutum & homines benignè complecteretur.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tamquam Ieruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & Beatam dixerunt, & Reginæ laudauerunt eam. ℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia conualium. Viderunt eam.

Lectio vj.

NOn in hoc tantum ſæculo Ordinem ſibi tam acceptum multis prærogatiuis beatiſſima Virgo inſigniuit; verum & in alio (cum vbique & potentia, & miſericordia plurimum valeat) filios in Scapularis Societatem relatos, qui abſtinentiam modicam, preceſque paucas eis præſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne Purgatorij expiantur, ſolari, ac in cæleſtem patriam obtentu ſuo quam totiùs pie creditur efferre. Tot ergo, tantiſque beneficijs Ordo cumulatus, ſolemnem beatiſſimæ Virginis Commemorationem ritu perpetuo ad eiuſdem Virginis gloriam quotannis celebrandam inſtituit.

℟. Ornatam monilibus filiam Ieruſalem Dominus concupiuit: * Et videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicauerunt, dicentes: Vnguentum effuſum nomen tuum. ℣. Aſtitit Regina á dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate, Et videntes. Gloria Patri. Et videntes.

In tertio Nocturno.

Aña. Hæc eſt, quæ neſciuit torum in delicto: habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. *Pſalm.* Cantate Dño. *j.*

Aña. Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. *Pſalm.* Dominus regnauit, exultet terra.

Aña. Cùm iucunditate Commemorationem beatæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum. *Pſal.* Cantate Domino. *ij.*

℣. Speciosa facta es, & ſuavis.

℞. In delitijs tuis, ſancta Dei genitrix.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

Lectio vij *Cap* 11.

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib.4.cap.39.Lucæ 11.

MAgnæ deuotionis, & fidei hæc mulier oſtenditur, quæ Scribis, & Phariſæis Dominum tentantibus, ſimul, & blaſphemantibus, tanta eius Incarnationem præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur, vt & præſentium procerum calumniam, & futurorum confundat hęreticorum perfidiam. Si enim caro Verbi Dei ſecundum carnem naſcentis à carne Virginis matris pronuntiatur extranea, ſine cauſa venter, qui eum portaſſet, vbera quæ lactaſſent beatificantur.

℞. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen eius. ℣. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

QUa enim conſequentia eius lacte credatur nutritus, cuius ſemine negatur eſſe conceptus? Cùm ex vnius eiuſdemque fontis origine, ſecundum phyſicos, vterque liquor emanare probetur: niſi fortè putanda eſt virgo ſementinam ſuæ carnis materiam nutriendo in carne Dei Filio ſuggerere potuiſſe: incarnando autem, quaſi maiori, & inuſitato miraculo minimè potuiſſe. Sed huic opinioni obſtat Apoſtolus, dicens: Quia miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.

℞. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: * Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebram tuam Commemorationem. Quia ex te. Gloria Patri. Quia.

Le-

Lectio xj.

NEque enim audiendi ſunt qui legendum putant, Natum ex muliere, factum ſub lege; ſed factum ex muliere: quia conceptus ex vtero virginali, carnem non de nihilo, non aliundè; ſed materna traxit ex carne: alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus vocem cum Eccleſia Catholica, cuius hæc mulier typum geſſit, extollamus & mentem de medio turbarum, dicamuſque Saluatori: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Verè enim beata parens, quæ, ſicut quidam ait enixa eſt puerpera Regem, qui cœlum, terramque tenet per ſæcula.
Te Deum Laudamus.

AD LAVDES.

& per Horas. Aña.

PUlchra es, & decora filia Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. *Pſalm.* Dominus regnauit. *cum reliquis de Dominica. Aña.* Sicut myrrha electa odorem dediſti ſuauitatis, ſancta Dei genitrix.
Aña. In odorem vnguentorum tuorum currimus: adoleſcentulę dilexerunt te nimis. *Aña.* Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus. *Aña.* Speciosa facta es, & ſuauis in delitijs tuis, ſancta Dei Genitrix.

Capitulum. Ego quaſi vitis. *vt in Veſper. Hymn.* O glorioſa Virginum. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo.

Ad Benedictus. Aña.

AVe ſtella matutina, peccatorum medicina, mundi Princeps & Regina. Virgo ſola digna dici, contra tela inimici, clypeum pone ſalutis, tuæ titulum virtutis. Tu es enim virga Ieſſe, in qua Deus fecit eſſe Aaron amigdalum, mundi tollens ſcandalum. Tu es area compluta, cœleſti rore imbuta, ſicco tamen vellere. Tu nos in hoc carcere ſolare propitia, Dei plena gratia. O Sponſa Dei electa, eſto nobis via recta ad æterna gaudia, vbi pax eſt & gloria. Tu nos ſemper aure pia dulcis exaudi Maria.

Oratio. Deus, qui beatiſſimæ. *vt in Veſperis.*

Ad Primam. Aña. Pulchra es. *In ℟. bre.* ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam. Aña. Sicut myrrha. *Capitulum.* Ego quaſi vitis. *vt ſupra.*

℟. *bre.* Sancta Dei genitrix, * Uirgo ſemper Maria. Sancta Dei. ℣. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. Virgo ſemper Maria. Gloria Patri. Sancta Dei Genitrix. ℣. Poſt partum Uirgo inuiolata permanſiſti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis.

Ad Sextam. Aña. In odorem.

Capitulum. Eccl. 24.

SPiritus meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & fauum. Memoria mea in generationes ſæculorum.

℟. *bre.* Poſt partum virgo: * Inuiolata permanſiſti. Poſt partum. ℣. Dei genitrix intercede pro nobis. Inuiolata. Gloria Patri. Poſt partum. ℣. Specioſa facta es, & ſuauis. ℟. In delicijs tuis, ſancta Dei genitrix.

Ad Nonam. Aña. Specioſa facta es.

Capitulum. Eccl. 24.

QUi audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℟. *bre.* Specioſa facta es: * Et ſuauis. Specioſa. ℣. In delicijs tuis, ſancta Dei genitrix. Et ſuauis. Gloria Patri. Specioſa facta es. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo.

In ſecundis Veſperis, omnia vt in primis.

Ad Magnificat, Aña.

ALma Redemptoris mater, quæ peruia cœli porta manes, & ſtella maris, ſucurre cadenti, ſurgere qui curat, populo: tu quę genuiſti, natura mirante, tuum ſanctum Genitorem. Virgo prius ac poſterius, Gabrielis ab ore ſumens illud Aue, peccatorum miſerere.

Oratio, Deus, qui. *vt ſupra.*

DIE XX. IULIJ.

In feſto ſanctæ Liberatæ Virginis & martyris. Duplex ſecundæ Claſſis.

In Regnis Hiſpaniarum celebrandum, ex conceſſione Sacræ Rituum Congregat. 26. Septembris 1682.

Omnia de Communi Virginum, & Martyr. præter ea, quæ ſequuntur.

In primis Veſper. ad Magnif. Aña. Glorioſum ſanctæ Liberatæ triumphum ſolemniter celebremus, quæ in Cruce pendens, infernum vicit, & tyrannorum tormenta ſuperauit, alleluia.

Oratio.

BEatæ Liberatę Virginis & martyris tuæ, quæſumus Domine, precibus & meritis adiuuemur: vt quæ pro tui nominis confeſſione, & pudicitiæ defenſione in Cruce pependit, ab inimicorum inſidijs ſua nos protectione defendat. Per Dominum noſtrum.

Et non fit Commemorat. ſanctæ Margaritæ Virg. & martyr.

In primo Nocturno.

De libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. Cap. 51.

COnfitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum ſaluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor, & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum

à

à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor. Et liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad eſcam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: à præſura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuata: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniuſta.

℞. Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in ęternũ, pro cuius amore ſanguinem tuum fudiſti. * Et cum Angelis in paradiſum introiſti. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. Et cum Angelis.

Lectio ij.

LAudauit vſque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Circumdederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Memorata ſum miſericordiæ tuæ Domine, & operationis tuę, quę á ſæculo ſunt. Quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium.

℞. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. * Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Propterea.

Lectio iij.

EXaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecata ſum. Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aſſiduè; & collaudabo illud in confeſſione, & exaudita eſt oratio mea. Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.

℞. Specie tua, & pulchritudine tua. * Intende, proſperè procede, & regna. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis; propterea benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria Patri. Intende.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

LVcius Catellius Seuerus, Præſes Gallætiæ, & Luſitaniæ, & eius terræ Regulus, idolorum cultor, ex Calſia coniuge, eidem falſæ religioni dedita, vno partu (vt multarum in Hiſpania Eccleſiarum fert traditio) nouem edidit filias. Quæ cum exiſtimaret, hoc poſſe contra eam aliquam violati tori & intemperantis vitę excitare ſuſpicio-

picionem, obſtetrici ſeuerè indixit, vt occultè illam tot filiarum turbam in flumen proijceret. Illa verò conſilium deteſtata, in proximum vicum progreſſa, nouem puellas totidem nutricibus alendas tradidit: à quibus ſacro fonte luſtratæ, Geniuera, Wilgefortis, ſeu Liberata, Victoria, Eumelia, Germana, Gemma, Martia, Baſiliſſa, ac Quiteria nuncupatæ, totas ſe Deo conceptæ virginitatis voto conſecrarunt.

℟. Propter veritatem. 13.

Lectio v.

INterea dira perſecutio Chriſtianum nomen vrgebat, & ad Balchagiam Catellij ſedem progreſſa (quæ hodie dicitur Baiona Tudenſis) cultores idolorum impulit, vt Virgines ſacras comprehenderent, & Cathellio patri ſiſterent puniendas. Qui de genere, & religione ſciſcitatus, Chriſtianas, & filias ſuas eſſe cognouit. Cùm autem omnia illis regia liberalitate promitteret, omniaque ſupplicia iudicis ſeueritate minaretur, vt eas à ſtudio Chriſtianæ religionis abduceret & maternæ preces, & lachrymæ his omnibus accederent: nihilominùs ſacræ Virgines omnes in ea, quam ſuſceperant, fide conſtantes permanſerunt.

℟. Dilexiſti iuſtitiam. 14.

Lectio vj.

CUm autem pater nil proficeret, & in filiarum cædem raperetur furore, illæ tametſi Martyrij cupidæ, patris tamen graue peccatum vitare cupientes, ab eius ſtatuerunt ſeſe poteſtate ſubducere, quod fecere, non ſimul omnes, ſed ſeorſum aliæ aliò dilapſæ: vbi varijs locis martyrium ſubierunt. Wilgefortis verò, ſeu Liberata cum alijs Chriſtianis in eremum ſeceſſit, vbi aſperrimè viuens, ſilueſtri cibo ſemel ad veſperam quotidie reficiebatur; donec comprehenſa iterùm ab impijs idolorum cultoribus ad ſacrilegum idolorum cultum, & impudiciam fuit inſtigata: illa verò, nec ſororum nece perculſa, nec minis, aut cruciatibus deterrita, tortoribus ſe læta obtulit. Et poſt varia tormentorum genera, in Luſitania ad Caſtraleuca pro fide & pudicitia decertans, in cruce meruit martyrij palmam adipiſci, circa annum Domini cẽteſimum trigeſimum nonum: cuius corpus in ampliſſimo templo Seguntino honorificè conditum, ſumma colitur religione, & populorum frequentia.

℟. Afferentur Regi. 15.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij *Cap* 13.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcõdito in agro. Et reliqua.

Ho-

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 84. ſuper Matth. cap. 13.

SIcut granum ſinapis, & fermentum: ſic duæ parabolæ iſtæ theſauri atque margaritæ parum inter ſe differunt: illud enim ambabus his denotatur, quoniam oporteat prædicationem Euangelij omnibus cęteris anteponere. Et illis quidem (fermenti dico atque ſinapis) magna Euangelij virtus oſtendebatur, quæ omnino totum orbem terrarum erat ſuperatura: hæ verò poſteriores ſummi eſſe pretij ſignificant; ſicut enim ſinapis extenditur, ſic quaſi margarita pretioſiſſimum eſt, ac infinitas exhibet commoditates; vt theſaurus.

℟. Hæc eſt virgo ſapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ acceptis lampadibus, ſumpſit ſecum oleum: * Et veniente Domino, introiuit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus eſt. Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Et veniente.

Lectio viij.

NEc illud ſolum dicimus, quia cætera abjicienda ſunt omnia, & ſola prædicatio Euangelij retinenda; verùm etiam magno id eſſe cum gaudio faciendum. Sanè qui renuntiationem bonorum facit, is nullam iacturam, ſed quæſtuoſiſſimam facit mercaturam. Perpendis quomodo in mundo abdita atque celata prædicatio eſt, & in prædicatione ſumma fœlicitas recondita? Niſi ergo cunctas res tuas venundabis, non emes: niſi curioſé quæras, non inuenies. Duo hæc quippe nobis ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſæcularium rerum contemptus, & iugis vigilantia.

℟. Media nocte clamor factus eſt. * Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. ℣. Prudentes virgines aptate veſtras lampades. Ecce ſponſus. Gloria Patri. Ecce ſponſus.

Lectio jx.

QVærenti enim (inquit) bonas margaritas, & cum inueniſſet vnam pretioſam, vendidit quęcumque habebat, ac emit eam. Vna quippe veritas, nec in multas ſcinditur partes: ac veluti qui margaritam habet, nouit ſe diuitem eſſe, etiam ſi alijs ignotum nonnumquam illud ſit, cùm paruo in loculo margarita reconditur; ſic & in prædicatione veritatis, qui ei adhærent, totoque animo illam amplectuntur, opulentos eſſe non ignorant, quamvis infideles, theſauri vim non agnoſcentes, fidelium opes contemnant.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus, Aña.

Quamvis plurimis blandimentis, & minis ſancta Liberata expectaretur, vt fidem Chriſtianam, pudicitiamque dcſereret: ſtabilis, & firma in agone permanſit.

manſit, & in Cruce impollutum ſpiritum Deo reddidit.

Oratio.

BEatæ Liberatæ virginis, & martyris tuæ, quæſumus Domine, precibus, & meritis adiuuemur: vt quæ pro tui nominis confeſſione, & pudicitiæ defenſione in Cruce pependit, ab inimicorum inſidijs ſua nos protectione defendat. Per Dominum noſtrum.

Poſteá fit Commemorat. ſanctæ Margaritæ Virg. & Mart. Aña. Simile eſt. ℣. Specie tua.

In ſecundis Veſper. ad Magnificat. Aña. O fœlix Liberata, à tyrannorum ſæuitia liberata! O glorioſa Wilgefortis, quæ vbique fortis in certamine reperta es! O Patrona admiranda Ciuitatis, & Diœceſis Seguntinæ, fac nos tuis precibus ad gaudia cæleſtia, quibus frueris, pervenire.

DIE XXIIJ. IVLIJ.

In feſto S. Apollinaris Epiſcopi & mart. Duplex.

Omnia vt in Breviario Romano.

DIE XXXJ. IVLIJ.

In feſto ſancti Ignatij Confeſſoris. Duplex.

Omnia vt in Breviario Romano.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium. Deſignauit Dominus. *de Communi Euangeliſtarum. Miſſa habetur propria.*

DIE IJ. AVGVSTI.

In feſto ſancti Petri Epiſcop. Oxomenſis, & Confeſſ. Duplex, in Regnis vtriuſque Caſtellæ tantùm.

Omnia de Communi Conf. Pontif. exceptis his, quæ ſequuntur.

In ſecundis Veſper. Octauæ ſancti Iacobi Apoſtol. á Capitulo fit de ſancto Petro, commemorat. Octau. & ſancti Stephani Papæ, & mart.

Oratio.

DA quæſumus Omnipotens Deus: vt beati Petri Confeſſoris tui, atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Ex hiſtoria Bernardi Archiepiſcopi Toletani ſub Paſchale 2. tempore Alphonſi IV. Hiſpaniarum Regis, & alijs Oxomenſis Eccleſiæ monumentis.

Lectio jv.

PEtrum Bituricenſem è Gallia, Bernardus Toletanus Antiſtes, Roma per Galliam (ſuum natale ſolum) Toletum rediens, cum alijs viris doctrina, & pietate præſtantibus, ſecum vt eorum miniſterio in Eccleſiæ regimine vteretur, adduxit. Perſpecta autem Petri prudentia, ſingularique in omnibus peritia, eum primò Archidiaconum Tole-

leta-

letanum inſtituit: in cuius munere ita ſe ſingulari omnium, & præcipuè ſui Præſulis approbatione geſſit, vt altioris loci, & regiminis digniſſimus fuerit iudicatus. Anno itaque Domini milleſimo centeſimo primo, Paſchale ſecundo Summo Pontifice, ipſius Bernardi opera, poſt expulſos Saracenos ex Arabacis, in quibus ad fines Celtiberię ſita eſt Oxoma, & Toletum ab eorum Tyrannide armis Alphonſi Sexti Hiſpaniarum Regis, vindicatum, primus Epiſcopus Oxomenſis creatur. Diuinitùs autem datus, & præfectus Eccleſiæ, potius quam humanitus ex eo certiſſimè iudicandus eſt; quia cum Sarracenorum vi, temporumque iniuria per trecentos plus minus ante annos Paſtorum ſolatio, & præſentia deſtituta, Oxomenſis Eccleſia permanſiſſet: ipſe Petrus admirabili ſanctitate, & incredibili celeritate omnia ita diſpoſuit, vt nunquam talia paſſa Oxomenſis Eccleſia videretur.

℟. Inueni Dauid 19.

Lectio v.

PRæfectus itaque ſuæ Eccleſiæ, primum antiqui templi tanti temporis decurſu collapſi fundamenta explorat, ipſamque reficit, & in priſtinum ſtatum cum ingenti breuitate reſtituit. Veterem dioeceſim inſtaurat, prædicatione Verbi Diuini, aſſidua oratione, diſciplinæ ſeueritate cum pia quadam moderatione Clerum inſtituit: vt mores Chriſtiani, & Cleri ſanctitas maximè elucerent. Diſtinctas item Parrochias prædicatione, Sacerdotum inſtitutione, effuſa in pauperes miſericordia, viſitando frequenter, circuibat. Multis etiam editis miraculis, antiquum naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ ſplendorem ſuſcitare videbatur: ex his referuntur quædam monumentis maiorum, & receptis hiſtorijs conſignata. In his eſt Oxomenſis ciuis admirabilis á dæmone liberatio: is enim potens, & diues, ob illatas Oxomenſi Eccleſiæ graues iniurias excommunicatus in Epiſcopum Oxoma in Villam ſancti Sptephani proficiſcentem hoſtili animo armatus irruit: vnde à dæmone ſubito correptus, de equo, cui inſedebat, dejicitur: & in terra ſpumans tamdiu volutatur, donec oratione, & precibus ſancti Epiſcopi à dæmone opprimente liberatur: & ad priſtinam ſanitatem reuocatus pœnitens ad Eccleſiam confugit. Aquam item de illicis ramis in Villa Freſnillo ſui Epiſcopatus ſubito deflaxiſſe, vt ſitientes comites Epiſcopi, & de via laſſi ſub vmbra eiuſdem arboris reficerentur. Multos præterea graui ægritudine laborantes, priſtinæ ſanitati reſtitutos, precibus â Domino impetrauit.

℟. Poſui adiutorium. 20.

Lectio jv.

HIs pijs, & ſanctis operibus intentum Epiſcopum, ad funus Alphonſi Regis in Abbatia ſancti Facundi ritè procurandum, euocatum, & deinde redeuntem Oxomam, fæbris periculoſa Palentiæ occupat. Adhibitis autem à Petro Palentino Epiſcopo omnibus humanitatis officijs, nihilominus inſtare ſibi mortem Oxomenſis intellexit: & dæmonem ſibi apparentem in ipſo mortis articulo, his verbis repulit. Quid hic agis nequam? Nulla tibi pars debetur, nonne confunderis, volens occupare, quæ tua non ſunt? Et benedicta tunc à ſe ipſo more Eccleſiaſtico aqua, aſperſum compeſcuit, & fugauit. Deinde Palentino Epiſcopo dubitanti, an corpus illius poſt mortem propter Maurorum frequentes irruptiones, Oxomam tuto deferri poſſet (vt obnixe petierat ab eo Oxomenſis) reſpondit, ipſum bono animo eſſe: futurum enim, vt nulla vi hoſtium, neque incurſione impediretur, vel in profectione, vel in reditu, vt euentu ipſo probatum eſt. Sacramentis igitur Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Unctionis debitè ſuſceptis, fronti ſigno crucis impreſſo, & circumſtantes benedicens, compoſito vultu, Palentiæ clarus miraculis migrauit ad Dominum, cum per ſex annos, & quatuor plus minus menſes Eccleſiam ſanctiſſimè gubernaſſet. Cuius corpus Oxomam delatum honorifico ſepulchro conditum eſt, multis ad illud Religionis, & voti cauſa confluentibus.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum. 20.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel. Homo peregrè proficiſcens. *de eodem Communi.*

Nona Lectio ex duab. & commemorat. in Laudib. ſancti Stephani Papæ, & martyris.

Miſſa: Statuit ei Dominus. *de Communi Confeſſ. Pontific.*

DIE VIJ. AUGUSTI.

In feſto ſancti Caietani Confeſſ. Duplex.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. præter ea, quæ hic habentur propria.

In ſecundis Veſper. Transfiguration Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro Commemorat. ſancti Caietani.

Aña. Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.

Oratio.

DEus, qui beato Caietano Confeſſori tuo Apoſtolicam viuendi formam imitari tribuiſti: da nobis eius interceſſione & exemplo in te ſemper confidere, & ſola cęleſtia deſiderare. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit Commemorat. ſancti Donati Epiſc. & martyr.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

CAietanus nobili Thienæa gente Vincentiæ ortus, ſtatim a matre Deiparæ Virgini oblatus eſt. Mira á teneris annis morum innocentia in eo eluxit, adeò vt Sanctus ab omnibus nuncuparetur. Iuris vtriuſque Lauream Patauij adeptus, Romam profectus eſt, vbi inter Prælatos à Iulio ſecundo collocatus, & Sacerdotio initiatus, tanto Diuini amoris æſtu ſucceníus eſt, vt relicta aula ſe totum Deo mancipauerit. Noſocomijs proprio ære fundatis, etiam morbo peſtilenti laborantibus, ſuis ipſe manibus inſeruiebat. Proximorum ſaluti aſſidua cura incumbebat, dictus propterea Venator animarum.

℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

COllapſam Eccleſiaſticorum diſciplinam ad formam Apoſtolicæ vitæ inſtaurare deſiderans, Ordinem Clericorum Regularium inſtituit, qui, abdicata rerum omnium terrenarum ſolicitudine, nec redditus poſſiderent, nec vitæ ſubſidia à fidelibus peterent, ſed ſolis eleemoſinis ſpontè oblatis viuerent. Itaque approbante Clemente Septimo ad Aram maximam Baſilicæ Vaticanæ, vna cum Ioanne Petro Carrafa Epiſcopo Theatino, qui poſteà Paulus Quartus Pontifex Maximus fuit, & alijs duobus eximiæ pietatis viris, vota ſolemnia emiſit. In Vrbis direptione à militibus crudeliſſimè vexatus, vt pecuniam proderet, quam dudum in cœleſtes theſauros manus pauperum deportauerant, verbera, tormenta, & carceres inuicta patientia ſuſtinuit. In ſuſcepto vitæ inſtituto conſtantiſſimè perſeuerauit, ſoli Diuinæ prouidentiæ inhærens, quam ſibi numquam defuiſſe, aliqnando miracula comprobarunt.

℟. Amauit eum Dominus.

Lectio vj.

DIuini cultus ſtudium, nitorem domus Dei, ſacrorum Rituum obſeruantiam, & ſanctiſſimę Euchariſtię frequentiorem vſum maximè promouit. Hæreſum monſtra & latebras non ſemel detexit, ac profligauit. Orationem ad octo paſſim horas iugibus lacrymis protrahebat, ſæpè in extaſſim raptus, ac prophetiæ dono illuſtris. Romæ nocte natalitia, ad Præſepe Domini infantem Ieſum accipere meruit á Deipara in vlnas ſuas. Corpus integritas noctes interdum verberationibus affligebat; nec vmquam adduci potuit, vt vitæ aſperitatem emolliret, teſtatus in cinere & cilicio velle ſe mori. Denique ex animi dolore concepto morbo, quod offendi plebis ſeditione Deum videret, cœleſti viſione recreatus,

Neapoli migrauit in cęlum: ibique corpus eius in Eccleſia ſancti Pauli magna religione colitur: Quem multis miraculis in vita & poſt mortem glorioſum Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adſcripſit.

℟.Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 6. c*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 14.

NEmo poteſt duobus dominis ſeruire. Ad hanc ipſam intentionem referendum eſt, quod conſequenter exponit, dicens: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut alterum patietur, & alterum contemnet. Quæ verba diligenter conſideranda ſunt: nam qui ſint duo domini, deinceps oſtendit, cum dicit: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Mammona apud Hebræos diuitiæ appellari dicuntur. Congruit & punicum nomen: nam lucrum punicè mammon dicitur. Sed qui ſeruit mammonæ, illi vtique ſeruit, qui rebus iſtis terrenis merito ſuæ peruerſitatis prępoſitus, magiſtratus huius ſæculi à Domino dicitur. Aut enim vnum odio habebit homo, & alterum diliget, id eſt, Deum: aut alterum patietur, & alterum contemnet. Patietur enim durum, & pernicioſum dominum, quiſquis ſeruit mammonæ: ſua enim cupiditate implicatus ſubditur diabolo, & non eum diligit. Quis enim eſt qui diligat diabolum? ſed tamen patitur.

℟.Iſte eſt, qui ante Deum. 57.

Lectio viij.

IDeò, inquit, dico vobis, non habere ſolicitudinem animæ veſtræ quid edatis, neque corpori veſtro quid induatis: ne fortè, quamvis iam ſuperflua non quærantur, propter ipſa neceſſaria cor duplicetur, & ad ipſa conquirenda, noſtra detorqueatur intentio, cum aliquid quaſi miſericorditer operamur; id eſt, vt cum conſulere alicui videri volumus, noſtrum emolumentum ibi potius, quam illius vtilitatem attendamus: & ideò nobis non videamur peccare, quia non ſuperflua, ſed neceſſaria ſunt, quæ conſequi volumus.

℟.Sint lumbi veſtri. 57.

Pro ſancto Donato.

Lectio xj.

DOnatus, parentibus propter Ieſu Chriſti fidem interfectis, Arretium in Etruria cum Hilarino monacho ex fuga ſe contulit: cuius etiam vrbis Epiſcopus creatus eſt. Vbi cum

à Qua-

à Quadratiano præfecto in Iuliam perſecutione vterque idola venerari iuberetur, negantibus illis ſe tàm nefarium ſcelus commiſſuros, Hilarinus in oculis Quadratiani tamdiù fuſtibus cæſus eſt, dum efflaret animam: Donatus vehementer & ipſe cruciatus, gladio percuſſus eſt. Quorum corpora à Chriſtianis propè eam vrbem honorificè ſepulta ſunt.

Te Deum laudamus.

In Laudibus ad Benedictus. *Aña.* Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus? Aut quid bibemus? Scit enim Pater veſter, quid vobis neceſſe ſit.

Et fit commemorat. S. Donati Epiſcop. & mart.

In ſecundis Veſper. Ad Magnificat. *Aña.* Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.

Deinde fit Commemorat. Sanctorum Cyriaci, Largi, & Smaragdi martyr.

Miſſa de Communi Confeſſ. non Pontif. Os iuſti. *Oratio propr. commemorat. ſancti Donati Epiſcop. & martyr. Euang.* Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. *vt in Dominica xjv. poſt Pentecoſten.*

DIE IX. AUGUSTI.

In feſto Sanctorum Martyrum Iuſti, & Paſtoris. Duplex ſecundæ Claſſis, in Regnis Hiſpaniarum.

AD VESPERAS.

Aña. Iuſtus, & Paſtor. *cum reliquis de Laudibus.* *Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Domin. & loco vlt. Pſalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Rom.* 8.

FRatres, Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: nam expectatio creaturę reuelationem filiorum Dei expectat.

Hymnus. *B. Iſidor.*

ECce Iuſtus, ecce Paſtor,
Ambo iuncti ſanguine,
Quos piæ fraternitatis
Iunxerat germanitas,
Iunxit æqualis ſacratæ
Paſſionis vnitas.

Hi tamen ſcholis retenti,
Dum inſtruuntur litteris,
Audientes quòd tyrannus
Intrat vrbem perſequens,
Illico ſcholam relinquunt,
Et tabellas abnuunt.

Appetunt curſu deinde
Præſidis præſentiam,
Et Crucem Chriſti ſequendo,
Corpus armant debile,
Quod triumphos paſſionis
Expedirent fortiter.

Hoc repentè Daciano
Nuntiantes, inquiunt:
Ecce aduenire Chriſtum
Profitentes paruulos,
Mortis vltro paſſiones,
Atque cædes perpeti.

Concitans adeſt hic Præſes
Turbidus, ſæuitiam

 Ad

Ad ſuos truces miniſtros
Teneantur, clamitat:
Fuſtibus iubens tenella
Diſſecari corpora.
Tunc ſacratas ambo voces
Alloquuntur inuicem:
Tempus eſt iam temporales
Ferre pœnas corporis,
Quò futuro perfruamur
Gaudio cum Angelis.
Audiens mox Dacianus
Martyrum conſtantiam,
Excitatus in furore,
Dictat hanc ſententiam:
Vt peremptiambo fratres,
Morte dira intercidant.
Protinus eos furentes
Pertrahunt ſatellites,
Ad locum campi patentem,
Quem ferunt Laudabilem,
Enſe illic verberantur,
Laureantur ſanguine.
Laus tibi per omne tempus,
Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtuſq; ſumma
Singularis gloriæ,
Quæ Deum te ſæculorum
Perſonet per ſæcula. Amen.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Magnificat, Aña.

Fortiſſimi pueri Iuſtus & Paſtor in campum Laudabilem adducti, pro Chriſto pluſquam virili conſtantia, dato collo, martyrio coronati ſunt.

Oratio.

DEus, lactentium fides, ſpes infantium, charitas puerorum, qui per innocētum tuorum Iuſti & Paſtoris laudem cunctos prouocas ad ſalutem: infunde in nobis, quæſumus, puritatem lactentis infantiæ; vt dum ſenſu iuſtitiæ parvulis adæquamur, in illa remuneratione fidelium cum ſanctis pariter gloriemur. Per Dominum noſtrum.

Et non fit Commemor. de SS, Cyriaco, Largo, & Smaragdo, neque de S. Romano martyre.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem gloriæ, qui beatos hodiè Iuſtum, & Paſtorē coronauit: * Venite adoremus. *Pſal.* Venite, exultemus.

Hymnus.

DIuino agente ſpiritu,
Qui infirma mundi roborat,
Ad vincla, flagra, & vulnera
Fratres tenelli conuolant.
Vix Iuſtus annum ſeptimum,
Nonumque Paſtor egerat,
Et iam cruento in prelio
Vterque mundum vicerat.
Minas vterque Præſidis,
Vterque ſpreuit verbera,
Et colla vterque lactea
Stricto mucroni ſubdidit.
Incenſa nempè charitas,
Quam Chriſtus armat, fouet,
Quamvis tenello in corpore
Neſcit malis ſuccumbere.
In hoc triumpho nobili
Diuina virtus emicat;
Quæ infirma ſæcli deligit,
Confundat vt fortiſſima.
Sit laus, poteſtas, gloria,

Vni,

Vni, Trinoque numini,
Quod cæde, & ore infantium
Inuitat ad cæleſtia. Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Cum Dacianus Præſes dira Chriſtianis ſupplicia minaretur, Juſtus & Paſtor pueri mira alacritate ſeſe martyrio obtulerunt. *Pſalm.* Beatus vir. *Aña.* Ira exardeſcens, & rubore ſuffuſus Dacianus, infantes Martyres fuſtibus cędi, & excruciari crudelitèr iuſſit. *Pſalm.* Quare fremuerunt gentes. *Aña.* Non flagris, non morte deterriti, ad martyrium pro Chriſto perferendum, ſe mutuo roborabant. *Pſalm.* Domine, quid multiplicati. ℣. Lætamini in Domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos.

Lectio j. Cap 8. c.

FRatres, Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſummus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.

℟. Beati martyres Iuſtus & Paſtor teneris annis ætatis ſuæ mortem perdiderunt, & vitam inuenerunt. * Quia ſolum vitæ dilexerunt auctorem. ℣. Infantia computabatur in annis, ſed ſenectus erat venerabilis, non annorum numero computata. Quia ſolum.

Lectio ij.

SCimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitùs in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt, qui cōdemnet? Chriſtus

Ieſus,

Ieſus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

℞. Ingreſſus tyrannus Complutum, omnes Chriſtianos perquiri iubet, qui aut idolis ſacrificent, aut cruciatibus accerbiſſimis interficiantur: Iuſtus & Paſtor vltrò ſe offerunt. * Quia magno deſiderio pro Chriſto moriendi erant incenſi. ℣. Proiectis tabellis, quibus prima litterarum rudimenta continebantur, in domum iudicis properant. Quia magno.

Lectio iij.

QUis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare á charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

℞. Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis: Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt. ℣. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpendatur molla aſſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Angeli enim. Gloria Patri. Angeli.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Dixit Iuſtus: Noli frater Paſtor hanc temporalem pertimeſcere paſſionem, nam qui nos ad tantam gratiam vocauit, vires cruciatibus pares præſtabit. *Pſalm.* Domine, quis habitabit. *Aña.* Dignè, frater Iuſte, ſic te decet hortari, vt iuſtitiam, quam nomine præfers, ſimul cum tuo fratre ſuſcipias. *Pſalm* Conſerua me Domine. *Aña* Hi ſunt, qui acceperunt benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. *Pſalm.* Domini eſt terra. ℣. Exultent iuſti in conſpectu Dei. ℞. Et delectentur in lætitia.

Ex lib. S Iſidori, & lib. S. Ildefonſi de viris illuſtr.

Lectio iiij.

IUſtus & Paſtor, germani fratres, Complutenſes, illuſtre Chriſto Domino teſtimonium dederunt, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Nam cùm Dacianus Præſes, Complutum ingreſſus, Chriſtianos omnes perquiri iuberet: vt aut fidem Chriſti deteſtati, idolis ſacrificarent, aut accerbiſſimis cruciatibus interficerentur, Iuſtus & Paſtor pueruli magno ſunt pro Domino moriendi deſiderio

ſiderio incenſi. Itaque proiectis tabellis, quibus prima litterarum rudimenta continebantur quò Chriſtum melius diſcerent, è ludo litterario, neque vocati, neque appellati in domum iudicis properant. Chriſtianos ſe eſſe publicè profitentur, & pro Chriſti fide, ſupra ętatem & corporis vires, læti atque alacres tormentorum cruciatibus ſeſe vltiò offerunt. Quos Dacianus, tamquam pueros, iubet verberibus ab ea mente deterreri.

℟. Iuſtus ſic fratrem Paſtorem alloquebatur Ne timeas frater mortem corporis, nec dira tormenta, quæ nos circumſtant.* Nam Deus ille, qui nos ad tantam gratiam vocare dignatus eſt, dabit vires cruciatibus pares. ℣. Non te deterreant tormenta, quæ nobis parata ſunt, quaſi tenella noſtra ætate grauiora. Nam Deus.

Lectio v.

DUm ad verbera ducuntur, mutuò ſe ad ſupplicia fortiter ſubeunda nouelli agni cohortabantur: Nam Iuſtus minor natu, timens fortè, ne de ſua fratris conſtantia diffideret, ſic prior Paſtorem alloquitur: Nihil, Paſtor frater, timeas mortem corporis, quæ nos circumſtat, nec tormenta, quæ nobis parata ſunt, quaſi tenella noſtra ætate grauiora: excipe iugulo ſecurus gladium: nam Deus ille, qui nos ad tantam gratiam vocare dignatur, dabit etiam vires cruciatibus pares. Ad hæc Paſtor: Meritò, Iuſte frater, ſic te decet hortari, vt iuſtitiam, quam nomine præfers, re ipſa præſtes, eiuſque fructus mecum vna percipias. Ego verò libenter ſocium me tibi præbebo martyrij, vt tecum huius certaminis gloriam adiſpircar. Quorum ſermones cum ſatellites ad Dacianum retuliſſent, veritus ille, ne reliqui Chriſtiani tanto excitarentur exemplo, eiuſque crudelitas, ſi in certamen deſcenderet, à pueris vinceretur, extra oppidum procul ab hominum frequentia ſanctiſſimos pueros abripi iubet, & ſilentio occidi.

℟. Propter teſtamentum Domini, & leges paternas Iuſtus & Paſtor perſtiterunt in amore fraternitatis. * Quia vnus fuit ſemper ſpiritus in eis, & vna fides. ℣. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quia.

Lectio. vj.

ITaque in campum, qui Laudabilis eſt appellatus, abducti, octauo Idus Auguſti gladio feriuntur. Et, vt à maioribus accepimus, iugulati ſunt ſuper lapidem, qui Compluti in honore eſt, & adhuc ſeruat ſacrati martyrij impreſſa veſtigia. Poſt diſceſſum Daciani, Chriſtiani beatiſſima puerorum corpuſcula eo ipſo loco honorificè ſepelierunt: quæ durante perſecutione, &

& nouis deinceps, ſemper bellis Hiſpania exagitata, obliuioni traduntur, donec longo poſt tempore Aſturio Toletano Archiepiſcopo, viro ſanctiſſimo, diuinitus commonſtrata ſunt. Qui cœleſtem theſaurum pro dignitate æſtimans, Complutum venit, eumque pretioſo tumulo condidit: tantaque veneratione proſecutus eſt, vt Toletana ſede relicta; primus Complutenſem Epiſcopatum conſtituerit, ac reliquum vitæ tempus in honorandis ſanctiſſimis pueris collocarit, neque amplius ſe ab eis diuelli paſſus eſt: quorum reliquiæ multis, & illuſtribus miraculis claruerunt.

℞. Innocentes pro Chriſto infantes occiſi ſunt, ab impio tyranno pueri fratres iugulati ſunt; ipſum ſequuntur agnum ſine macula. * Et dicunt ſemper. Gloria tibi Domine. ℣. Hi ſunt, qui cum mulieribus nõ ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Et dicunt. Gloria Patri. Et dicunt.

In tertio Nocturno.

Aña. Neque vocati, neque appellati, Iuſtus & Paſtor in domum iudicis properant, Chriſti fidem confitentes. *Pſalm.* Exultate iuſti. *Aña.* Qui adhuc lactẽtis teneritudine agebantur infantiæ, vltra vires viriliter dimicant, alleluia. *Pſalm.* Benedicam Dominum. *Aña.* Deus adiutor noſter in tribulationibus, propterea non timebimus, dum turbabitur terra. *Pſal* Deus noſter refugium. ℣. Iuſti autem in perpetuum viuent. ℞. Et apud Dominum eſt merces eorum.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo tempore: Reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc á ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 8. de Verb. Domini. tom. 10.

QUid eſt hoc fratres? á contrario ſenſu intelligite: Abſcondiſti hæc, inquit, á ſapientibus, & prudentibus: & non dixit, reuelaſti ea ſtultis & imprudentibus: ſed ait: Abſcondiſti quidem à ſapientibus & prudentibss, & reuelaſti ea paruulis. Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falsò grandibus, verè autem tumentibus, oppoſuit non inſapientes, non prudentes, ſed paruulos. Qui ſunt paruuli? Humiles. Ergo abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus.

℞. Sacrilegi Præſidis Daciani minas perhorreſcunt viri, infantes contemnunt: * Et per infirma mundi fortia confunduntur. ℣. Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Et per infirma.

Le-

Lectio viij.

NOmine ſapientium & prudentium ſuperbos intelligi poſſe, ipſe expoſuit, cum ait: Reuelaſti ea paruulis. Ergo abſcondiſti non paruulis. Quid eſt, non paruulis? Non humilibus. Quid eſt, non humilibus, niſi ſuperbis? O via Domini! aut non erat, aut latebat, vt reuelaretur nobis. Vnde Dominus exultauit, niſi quia reuelatum eſt paruulis? Debemus eſſe paruuli: nam ſi voluerimus eſſe magni, quaſi ſapientes & prudentes, non nobis illud reuelatur.

℞. Hæc eſt vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui effuſo ſãguine ſequuti ſunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, peruenerunt ad regna cœleſtia. ℣. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Contemnentes. Gloria Patri. Contemnentes.

Pro Vigilia ſancti Laurentij.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio jx. *Cap. 6. d*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homilia 23. in Euangelia.

QUia Dominus ac Redemptor noſter nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo. Vitæ etenim noſtræ veteri in vitijs enutritæ contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, niſi ſua retinere, aliena rapere, ſi poſſet; concupiſcere, ſi non poſſet? Sed cœleſtis medicus ſingulis quibuſque vitijs obviantia adhibet medicamenta. Nam ſicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES.

& per Horas, Aña.

IUſtus & Paſtor fratres pueri, cum Præſidis ſæuitiam viri perhorreſcerent, ſponte ad martyrium cucurrerunt. *Pſalm.* Dominus regnauit. *cum reliquis de Dominica. Aña.* Paſtor & Iuſtus fratres, cum pueri adhuc litteris imbuerentur, proiectis in ſchola tabellis, veram ſapientiam ſunt ſequuti. *Aña.* Iuſtus Paſtorem alloquitur: Noli frater mortem corporis, nec tormenta, quæ nobis parata ſunt, pertimeſcere. *Aña.* Dixit Paſtor Iuſto fratri, libenter me tibi martyrij ſocium prębeo, vt ſimul huius certaminis gloriam conſequamur. *Aña.* Pueri, & iuuenes, ſenes

ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini, alleluia.

Capitulum. Rom. 8.

FRatres, Exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.

Hymnus.

SAcra victorum monumenta fratrum
Supplici voto renouamus, & te
Martyrum virtus canimus, qui in illis
Chriſte triumphas.
Hodie duplex tibi conſecratur
Victima, hoſtili temerata cultro,
Vtraque internas animante vires
Vritur igne.
Vltro ad immitem properat tyrannum,
Vtraque intentos cupit ire in enſes,
Nulla vis cogit iugulum minaci
Subdere ferro.
Prodeunt vna genitricis alvo,
Tempore ad palmam rapiuntur vno,
Et duplex agnus laniatus vnam
Imbuit aram.
Excipe ex noſtris Deus alme templis
Vota, ſolemni geminata ritu,
Quique adhuc ſtillat veteri recentem
Morte cruorem.
Gloria æterno Genitori, & eius
Sit coæternæ Soboli, iugiſque
Laus Paraclito, qui ab vtroque manat
Numine ſacro. Amen.

℣. Exultabunt ſancti in gloria.
℟. Lætabũtur in cubilibus ſuis.

Ad Magnificat, Aña.

Super petram duæ victimæ Chriſto gratiſſimæ Iuſtus, & Paſtor iugulati ſunt, & corpora eorum in pace honorificè ſepulta ſunt, alleluia.

Oratio.

DEus, lactentium fides, ſpes infantium, charitas puerorum, qui per innocentum tuorũ Iuſti & Paſtoris laudem cunctos prouocas ad ſalutem: infunde in nobis, quæſumus, puritatem lactentis infantiæ; vt dum ſenſu iuſtitię paruulis adequamur, in illa remuneratione fidelium cum ſanctis pariter gloriemur. Per Dominum noſtrum.

Et fit Commemorat. Vigiliæ ſancti Laurentij. Aña. & ℣. de Pſalterio.

Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: & interceſſione beati Laurentij martyris tui, cuius præuenimus feſtiuitatem, perpetuam nobis miſericordiam benignus impende. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit Commemorat. ſancti Romani martyr. *Aña.* Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.
℣. Iuſtus vt palma florebit.
℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

PRæſta, quæſumus omnipotens Deus: vt intercedente beato Romano martire tuo, & à cunctis aduerſitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum noſtrum.

Ad Tertiam, Aña.

Iuſtus. *Capitulum.* Fratres, Exiſtimo. *vt ſuprà.*

℟. *bre.* Lætamini in Domino: * Et exultate iuſti. Lætamini.
℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria Patri. Lætamini. ℣. Exultent iuſti in conſpectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Ad Sextam. Aña. Iuſtus, Paſtorem.

Capitulum. Rom. 8.

SCimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.

℟. *bre.* Exultent iuſti, * In conſpectu Dei. Exultent. ℣. Et delectentur in lætitia. In conſpectu. Gloria Patri. Exultent. ℣. Iuſti autem in perpetuum viuent.
℟. Et apud Dominum eſt merces eorum.

Ad Nonam. Aña. Pueri, & iuuenes.

Capitulum. Rom. 8.

QVis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?

℟. *bre.* Iuſti autem. * In perpetuum viuent. Iuſti. ℣. Et apud Dominum eſt merces eorum. In perpetuum viuent. Gloria Patri. Iuſti. ℣. Exultabunt ſancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

In ſecundis Veſper. Aña, & Pſalm. vt in primis; ſed loco vltimi Pſalm. Credidi. *& à Capitulo fit de S. Laurentio mart.*

Et fit Commemorat. Ss. Iuſti, & Paſtoris. Aña. Iſti ſunt duo nouelli agni, qui nec minis iudicis deterriti, nec virium teneritate defeſſi, vſque ad mortem tormenta paſſi ſunt. Alleluia.
℣. Exultabunt ſancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.
Orat. vt ſuprà.

DIE XIJ. AUGUSTI.

In feſto ſanctæ Claræ Virginis.

Duplex.

Lectiones ſecundi Nocturni à Sacra Congregatione Rituum.

Die 9. Iunij 1696. approbatæ.

Lectio iiij.

CLara, Nobilis Virgo Aſſiſij, nata in Vmbria, Sanctum Franciſcum Conciuem ſuum imitata, cuncta ſua bona in eleemoſynas, & pauperum ſub-

ſidia diſtribuit, & conuertit. De ſæculi ſtrepitu fugiens, in campeſtrem declinauit Eccleſiam, ibique ab eodem Beato Franciſco recepta tonſura, conſanguineis ipſam reducere conantibus fortiter reſtitit. Et denique ad Eccleſiam Sancti Damiani fuit per eundem adducta: vbi ei Dominus plures ſocias aggregauit, & ſic ipſa Sacrarum Sororum Collegium inſtituit, quarum regimen, nimia Sancti Franciſci deuicta importunitate recepit. Suum Monaſterium ſolicitè, ac prudenter in timore Domini, ac plena Ordinis Obſeruantia annis quadraginta duobus mirabilitèr gubernauit: eius enim vita erat alijs eruditio, & doctrina, vndè ceteræ viuendi regulam didicerunt.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

VT carne depreſſa, ſpiritu conualeſceret; nudam humum, & interdum ſarmenta pro lecto habebat, & pro puluinari ſub capite durum lignum. Vnâ tunica cum mantello de vili, & hiſpido panno vtebatur, aſpero cilicio non nunquam adhibito iuxta carnem. Tanta ſe frænabat abſtinentia, vt longo tempore, tribus in hebdomada diebus, nihil penitus pro ſui corporis alimento guſtauerit: reliquis autem diebus tali ſe cyborum paruitate reſtringens, vt aliæ, quomodo ſubſiſtere poterat, mirarentur. Binas quotannis (antequam ægrotaret) Quadrageſimas ſolo pane, & aqua refecta ieiunabat. Vigilijs inſuper, & orationibus aſſiduè dedita, in his præcipuè dies, noctesque expendebat. Diutinis perpexa languoribus, cum ad exercitium corporale non poſſet ſurgere per ſe ipſam, Sororum ſuffragio leuabatur, & fulcimentis ad tergum appoſitis, laborabat proprijs manibus, ne in ſuis etiam eſſet infirmitatibus otioſa. Amatrix præcipua paupertatis, ab ea pro nulla vnquam neceſſitate diſceſſit, & poſſeſſiones pro Sororum ſubſtentatione â Gregorio IX. oblatas conſtantiſſimè recuſauit.

℟. Dilexiſti iuſtitiam.

Lectio vj.

MUltis, & varijs miraculis virtus ſuæ ſanctitatis effulſit. Cuidam de Sororibus ſui Monaſterij loquelam reſtituit expeditam. Alteri autem ſurdam aperuit. Laborantem febre, tumentem hydropiſi, plagatam fiſtula, aliaſque alijs oppreſſas languoribus liberauit. Fratrem de Ordine Minorum ab inſaniæ paſſione ſanauit. Cum oleum in Monaſterio totalitèr defeciſſet, Clara accepit vrceum, atque lauit, & inuentus eſt oleo, beneficio Diuinæ largitatis impletus. Vnius panis medietatem adeò multiplicauit, vt Sororibus quinquaginta ſuffecerit. Saracenis

cenis Aſſiſium obſidentibus, & Claræ Monaſterium inuadere conantibus: ægra ſe ad portam afferri voluit, vnaque vas, in quo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum erat incluſum, ibique oravit: Ne tradas Domine beſtijs animas confitentes tibi, & cuſtodi famulas, quas pretioſo ſanguine redemiſti. In cuius oratione ea vox audita eſt: Ego vos ſemper cuſtodiam. Saraceni autem partim ſe fugæ mandarunt, partim, qui murum aſcenderant, capti oculis præcipites ceciderunt. Ipſa denique Virgo, cum in extremis ageret, á candido Beatorum Virginum cœtu (inter quas vna eminentior, ac fulgidior apparebat) viſitata, ac Sacra Euchariſtia ſumpta, & peccatorum Indulgentia ab Innocentio Quarto ditata, Pridie Idus Auguſti Animam Deo reddidit. Poſt obitum verò quam plurimis miraculis reſplendentem Alexander Quartus inter Sanctas Virgines retulit.

℟. Afferuntur Regi.

DIE XXIIJ. AUGUSTI.

In feſto ſancti Philippi Benitij Confeſſoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui per beatum Philippum Confeſſorem tuum eximium nobis humilitatis exemplum tribuiſti: da famulis tuis proſpera mundi ex eius imitatione deſpicere, & cœleſtia ſemper inquirere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

PHilippus ex nobili Benitiorum familia Florentiæ natus, futuræ Sanctitatis iam inde ab incunabulis indicium præbuit. Vix enim quintum ætatis menſem ingreſſus, linguam in voces mirificè ſoluit, hortatuſq; fuit matrem, vt Deiparæ Seruis eleemoſynam impertiret. Adoleſcens, dum Pariſijs litterarum ſtudia cum pietatis ardore coniungeret, plurimos ad cœleſtis Patriæ deſiderium inflammauit. Reuerſus in Patriam, & ſingulari viſione à beatiſſima Virgine in Seruorum ſuorum familiam nuper inſtitutam vocatus, in Senarij montis antrum conceſſit; vbi aſperam quidem, iugi corporis caſtigatione, ſed Chriſti Domini cruciatum meditatione ſuauem vitam duxit; indeque per vniuerſam pœnè Europam, magnamque Aſiæ partem, quam Euangelicis prædicationibus obiuit, ſodalitia Septem Dolorum Dei Matris inſtituit, ſuumque Ordinem eximio virtutum exemplo propagauit.

℟.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & á ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

DIuinæ chatitatis, & Catholicæ fidei dilatandæ ardore vehementer accenſus, ſui Ordinis Generalis reluctans, atque inuitus renuntiatus, Fratres ad prædicandum Chriſti Euangelium in Scithiam miſit. Ipſe verò plurimas Italiæ Vrbes concurſans, gliſcentes in eis ciuium diſcordias compoſuit, multaſque ad Romani Pontificis obedientiam reuocauit; nihilque de ſtudio alienæ ſalutis omittens, perditiſſimos homines è vitiorum cœno ad pœnitentiam, ac Ieſu Chriſti amorem perduxit. Orationi ſummopere addictus, ſæpè in extaſim rapi viſus eſt. Virginitatem veró adeò coluit, vt ad extremum vſque ſpiritum voluntarijs, ac duriſſimis ſupplicijs illibatam cuſtodierit.

℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum. * Et ad portas paradiſi coronauit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei. & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

EFfloruit in eo iugiter ſingularis erga pauperes miſericordia; ſed præcipuè cum apud Camilianum agri Senenſis vicum leproſo nudo eleemoſynam petenti propriam, qua indutus erat, veſtem fuit elargitus, qua illi contectus, ſtatim â lepra mundatus eſt; cuius miraculi cum longè latequè fama manaſſet, non nulli ex Cardinalibus, qui Uiterbium, Clemente IV. vita functo, pro Succeſſore deligendo conuenerant, in Philippum, cuius cœleſtem etiam prudentiam perſpectam habebant intenderunt. Quo comperto vir Dei, ne fortè Paſtoralis regiminis onus ſubire cogeretur, apud Tuniatum montem tamdiu delituit, donec Gregorius X. Pontifex Maximus fuerit renuntiatus; vbi Balneis, quæ etiam hodie ſancti Philippi vocantur, virtutem ſanandi morbos ſuis precibus impetrauit. Denique Tuderti anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quinto in Chriſti Domini è Cruce pendentis amplexu, quem ſuum appellabat librum, ſanctiſſimè ex hac vita migrauit. Ad eius tumulum cæci viſum, claudi greſſum, mortui vitam receperunt. Quibus alijſque plurimis fulgentem ſignis Clemens X. Pontifex Maximus Sanctorum numero adſcripſit.

℟. Iſte homo perfecit omnia

quæ

quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam, * Quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cæleſtia regna. Quia te. Gloria Patri. Quia te.

In tertio Nocturno. Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri in Euangeli. Nolite timere puſillus grex, *de Communi Confeſſoris non Pontificis.*

Nona Lectio. & commemoratio in Laudibus de Vigilia Sancti Bartholomæi Apoſtoli.

Miſſa: Iuſtus vt palma florebit, *de Communi Confeſſoris non Pontificis.*

Oratio. Deus, qui, *vt ſup.*

DIE XXX. AVGVSTI.

In feſto S. Roſæ à Sancta Maria Virginis. Duplex.

Pro omni ditione Auguſtiſſimi Imperatoris, Regis Catholici, Poloniæ, & totius domus Auſtriacæ.

Omnia de Communi Virginum, præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

BOnorum omnium largitor, omnipotens Deus, qui beatam Roſam, cæleſtis gratiæ rore præventam, virginitatis, & patientiæ decore Indis floreſcere voluiſti: da nobis famulis tuis: vt in odorem ſuauitatis eius currentes, Chriſti bonus odor effici mereamur. Qui tecum viuit, & regnat.

Et fit Commemorat. Sanctorum Felicis, & Adaucti martyr.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

PRimus Americæ Meridionalis flos ſanctitatis virgo Roſa, Chriſtianis parentibus Limæ progenita, mox ab incunabulis claruit futuræ ſanctimoniæ indicijs; nam vultus infantis mirabiliter in roſæ effigiem transfiguratus, huic nomini occaſionem dedit: cui poſteà Virgo Deipara cognomen adiecit, iubens vocari deincepsRoſſam à ſancta Maria. Quinquennis votum perpetuæ virginitatis emiſit. Adultior, ne à parentibus ad nuptias cogeretur, clàm ſibimet venuſtiſſimam capitis cæſariem præſcidit. Ieiunijs ſuprà humanum modum addicta, integras Quadrageſimas tranſigit pane abſtinens, ac dietim ſolis quinque granulis mali citrini victitans.

℟ Propter veritatem. 13.

Lectio v.

HAbitu Tertij Ordinis ſancti Dominici aſſumpto, priſtinas vitę auſteritates duplicauit: oblongo aſperrimoque cilicio ſparſim minuſculas acus innexuit: ſub velo coronam denſis aculeis introrſus obarmatam

inter

interdiu noctuque geſtauit. Sanctæ Catharinæ Senenſis ardua præmens veſtigia, catena ferrea, triplici nexu circumducta, lumbos cinxit. Lectulum ſibi è truncis nodoſis compoſuit, horumque vacuas commiſſuras fragminibus teſtarum impleuit. Cellulam ſibi anguſtiſſimam ſtruxit in extremo horti angulo, vbi cæleſtium contemplationi dedita, crebris diſciplinis, inedia, vigilijs corpuſculum extenuans, at ſpiritu vegetata, larvas dæmonum, frequenti certaminè victrix, impauidè protriuit, ac ſuperauit.

℟. Dilexiſti iuſtitiam. 14.

Lectio vj.

ÆGritudinem tormentis, domeſticorum inſultibus, linguarum morſibus dirè agitata, nondùm ſatis pro merito ſe affligi quærebatur. Per quindecim annos ad pluſculas horas deſolatione ſpiritus, & ariditate miſerrimè contabeſcens, forti animo tulit agones omni morte amariores. Exinde cœpit ſupernis abundare delicijs, illuſtrari viſionibus, colliqueſcere Seraphicis ardoribus. Angelo tutelari, ſanctæ Catharinæ Senenſi, Virgini Deiparæ inter aſſiduas apparitiones mirè familiaris, à Chriſto has voces audire meruit: Roſa cordis mei tu mihi ſponſa eſto. Denique Sponſi huius paradiſo fœliciter inuectam, plurimiſque antè, & poſt obitum miraculis coruſcans, Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctarum Virginum Cathalogo ritu ſolemni adſcripſit.

℟. Afferentur Regi. 15.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium. Simile eſt regnum cœlorum. *de Communi Virginum, cum nona Lectione, & Commemorat. in Laudibus Sanctorum Felicis & Adaucti martyrum, vt in Breuiario Romano.*

Miſſa: Dilexiſti iuſtitiam. *de eodem Communi, prima Oratio propria, vt ſuprà.*

DIE IJ. SEPTEMBRIS.

In feſto ſancti Stephani Hungariæ Regis Confeſſoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontifec. præter ea, quæ hic ponuntur.

In Hymno: Iſte Confeſſor. *dicatur*: Hac die lætus meruit ſupremos laudis honores.

Oratio.

COncede, quæſumus Eccleſiæ tuæ omnipotens Deus, vt beatum Stephanum confeſſorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur glorioſum in cœlis. Per Dominum noſtrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Le-

Lectio iv.

STephanus in Hungariam Chriſti fidem, & regium nomen inuexit, regia corona à Romano Pontifice impetrata, eiuſque iuſſu in Regem inunctus, Regnum Sedi Apoſtolicæ obtulit: varia pietatis domicilia Romæ, Jeroſolymis, Conſtantinopoli; in Hungaria Archiepiſcopatum Strigonienſem, Epiſcopatus decem, admirabili Religione, & munificentia fundauit. Par in pauperes amor, & liberalitas: quos veluti Chriſtum ipſum complectens, neminem á ſe mœrentem, ac vacuum vmquàm dimiſit; quin ad eorum inopiam ſubleuandam, ampliſſimis facultatibus erogatis, domeſticam quoque ſupellectilem eximia benignitate frequenter diſtribuit, ſuis in ſuper manibus lauare pauperum pedes, noctu ſolus, & ignotus noſocomia frequentare, decumbentibus inſeruire, ac cætera charitatis officia exhibere couſueuit: quarum virtutum merito illius dextera, reſoluto cætero corpore, incorrupta permanſit.

℞. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

ORandi ſtudio noctes pené totas ducebat in ſomnes, atque in cæleſtium rerum contemplatione defixus, interdum extra ſenſus raptus, ſublimis in aera ferri viſus fuit. Per duellium conſpirationes, ac validorum hoſtiũ impetus, miro prorſus modo, non ſemel orationis præſidio evitauit. Suſceptum ex Chiſella Bauarica ſancti Henrici Imperatoris ſorore, quam ſibi matrimonio iunxerat, Emericum filium, tanta morum diſciplina, talique pietate enutrivit, quantùm eius poſteà ſanctitas declarauit. Regni verò negotia ita diſpoſuit, vt accitis vndique prudentiſſimis, ac ſanctiſſimis viris, nihil vmquam ſine illorum conſilio moliretur. Humillimis interim precibus in cinere, & cilicio Deum deprecans, vt vniuerſum Hungariæ regnum, antequam é vita migraret, Catholicum videre mereretur. Verè propter ingens dilatandæ fidei ſtudium illius gentis Apoſtolus nuncupatus, facta à Romano Pontifice ipſi, poſteriſque Regibus præferendę Crucis poteſtate.

℞. Amauit eum Dominus. 10.

Lectio vj.

DEi genitricem, quam ardentiſſimé venerabatur, ampliſſimo in eius honorem conſtructo templo, Hungariæ Patronam inſtituit; ab eadem viciſſim Virgine receptus in cælum ipſo ſuę Aſſumptionis die: quem Hungari, é Sancti regis inſtituto magnæ Dominæ diem appellãt. Sacrum eius corpus ſuaviſſimo fragrans odore, liquore cæleſti ſcatens, inter multa, & varia miracula, Romani Pontificis iuſſu,

O nobi-

nobiliorem in locum tranſlatum eſt, atque honorificentiùs conditum. Eius autem Feſtum Innocentius Undecimus Pontifex Maximus quarto Nonas Septembris, ob inſignem victoriam ab exercitu Leopoldi Primi Romanorum electi Imperatoris, & Hungariȩ Regis eadem die in Budæ expugnatione, ope Diuina, è Turcis reportatam, celebrandum inſtituit.

℞. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 19. *b.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abijt in regionem longuinquam accipere ſibi regnum, & reuerti. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 8. *in Lucam.*

BOnus ordo, vt vocaturus Gentes, & Iudæos inſſurus interfici, qui noluerunt regnare ſupra ſe Chriſtum, hanc prȩmitteret comparationem, ne diceretur: Nihil dederat populo Iudæorum, vnde poterat melior fieri? vt quid ab eo, qui nihil recepit exigitur? Non mediocris iſta eſt mna, quam ſupra mulier Euangelica quia non inuenit, lucernam accendit, lúmine quærit admoto, gratulatur inuentam.

℞. Iſte eſt, qui ante Deum. 57.

Lectio viij.

DEnique ex vna decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortaſſe iſte moralia habet, quia quinque ſunt corporis ſenſus: ille duplicia, id eſt, myſtica legis, & moralia probitatis. Vnde, & Matthæus quinque talenta, & duo talenta poſuit. In quinque talentis, vt ſint moralia, in duobus vtrumque myſticū atque morale. Itá quod numero inferius, re vberius.

℞. Sint lumbi veſtri. 57.

Lectio jx.

ET hic poſſumus decem mnas, decem verba intelligere, id eſt, legis doctrinam; quinque autem mnas, magiſteria diſciplinæ. Sed legiſperitum in omnibus volo eſſe perfectum. Non enim in ſermone, ſed in virtute eſt regnum Dei. Benè autem, quia de Iudæis dicit, duo ſoli multiplicatam pecuniam deferunt, non vtique æris, ſed diſpenſationis vſuris. Alia eſt enim pecunia fœnebris, alia doctrinæ cæleſtis vſura.

Te Deum laudamus.

Miſſa. Os iuſti. *de Communi Confeſſ. non Pontif. Oratio.* Concede quæſumus. *cum Secreta, & Poſt communione, quæ habentur in Miſſali Romano in feſto ſancti Bernardi* 20. *Auguſti, pro commemor. ſancti Stephani.*

Epi-

Epiſtola. Beatus vir, qui. *Euangel.* Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam. *vt in eodem Communi, tertio loco.*

DOMINICA INFRA Octauam Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis.

In feſto Ss. Nominis B. Mariæ Duplex maius de præcepto in vniuerſali Eccleſia.

Si hoc feſtum occurrat in die Octaua Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, fit de eo, ſine commemor. diei Octauæ. Ex Decr. Sac. Rit. Congregat. 25. Septemb. 1685. approbato á Ss. D. N. die 24. eiuſdem.

AD UESPERAS.

Aña. Dum eſſet Rex. *cum reliq. de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Beata Maria, vt in eius Officio Parvo.*

Capitulum. Eccl. 24. b.

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.

Hymnus.

AUe maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Heuæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
Uirgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac, & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Ieſum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor vnus. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Ad Magnaficat. Aña.

Sancta Maria, ſucurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tui ſancti Nominis commemorationem.

Oratio.

COncede, quæſumus omnipotens Deus: vt fideles tui qui ſub ſanctiſſimæ Virginis Mariæ Nomine, & protectione, lætantur; eius pia interceſſione, à cunctis malis liberentur in ter-

terris, & ad gaudia æterna pervenire mereantur in cælis. Per Dominum noſtrum.

Et fit commemorat. Dominicæ occurentis tantùm.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Sancta Maria Dei genitrix Virgo: * Intercede pro nobis. *Pſalmus.* Venite exultemus.

Hymnus.

QVem terra, pontus, ſidera
Colunt, adorant, prædicant
Trinam regentem machinam,
Clauſtrum Mariæ baiulat.
Cui Luna, Sol, & omnia
Deſerviunt per tempora;
Perfuſa cæli gratia,
Geſtant puellæ viſcera.
Beata mater munere,
Cuius, ſupernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Uentris ſub arca clauſus eſt.
Beata cæli nuntio,
Fœcunda ſancto Spiritu,
Deſideratus gentibus,
Cuius per alvum fuſus eſt.
Jeſu, tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Añæ. Pſalm. & ℣. Nocturnorum, vt in Officio Parvo Beatæ Mariæ.

In primo Nocturno.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℞. Intende, proſperé procede, & regna.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 8. b. & 9.

EGo ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & ſuperbiam, & viam pravam, & os bilingue deteſtor. Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Ego diligentes me diligo: & qui mané vigilant ad me, invenient me.

℞. Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti, ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

Lectio. ij.

MEcum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret á principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole conſtite-

ſtiterant : ante colles ego parturiebar.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cum eſſem parvula, placui Altiſſimo : * Et de meis viſceribus genui Deum, & hominem.
℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. Et de meis viſceribus.

Lectio iij.

BEatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtij mei. Qui me invenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes, qui me oderunt, diligũt mortem. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis eſt parvulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.

℟. Beata es virgo Maria, quæ Dominum portaſti Creatorem mundi: * Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo.
℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuiſti. Gloria Patri. Genuiſti.

In ſecundo Nocturno.

℣. Adiuvabit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in medio eius, non commouebitur.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 2. ſuper miſſus eſt, circa finem.

Lectio iv.

ET Nomen, inquit, Virginis Maria. Loquamur pauca, & ſuper hoc Nomine, quod interpretatum, Maris eſtella dicitur. & matri Virgini valde conuenienter aptatur. Ipſa namque aptiſſimè ſideri comparatur: quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturiuit Filium. Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini Filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Jacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor, & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat: terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipſa, inquam, eſt præclara, & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſario ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa. * Dedi ſuauitatem odoris. ℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Le-

Lectio v.

O Quiſquis te intelligis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates flúctuare, quàm per terram ambulare; ne auertas oculos á fulgore huius ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iactaris ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam.

℞. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tamquam Ieruſalem? * Uiderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt eam. ℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia conuallium. Viderunt eam.

Lectio vj.

IN periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore; non recedat á corde: & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens, non devias: ipſam rogans, non deſperas: ipſam cogitans, non erras: ipſa tenente, non corruis: ipſa protegente, non metuis: ipſa duce, non fatigaris: ipſa propitia, peruenis: & ſic in temetipſo experiris, quàm merito dictum ſit: Et Nomen Uirginis Maria. Quod quidem venerabile Nomen, iam pridem in quibuſdam Chriſtiani orbis partibus ſpeciali ritu cultum, Innocentius Vndecimus Romanus Pontifex, ob inſignem victoriam, ſub eiuſdem Uirginis Mariæ præſidio, de immaniſſimo Turcarum tyranno, ceruicibus populi Chriſtiani inſultante, Viennæ in Auſtria partam, & in perenne tanti beneficij monumentum, in Eccleſia vniuerſali ſingulis annis Dominica Infraoctavam Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ celebrari præcepit.

℞. Ornatam monilibus filiam Ieruſalem Dominus concupiuit: *Et videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicauerunt, dicentes: Unguentum effuſum nomen tuum. ℣. Aſtitit regina â dextris tuis in veſtitu de aurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Vnguentum.

In tertio Nocturno.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℞. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 1.*

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & Nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chryſologi.

Serm. 142. de Annuntiat.

AUdiſtis hodie fratres chariſſimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audiſtis agi vt homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit, cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Audiſtis Angelum de carnis noſtræ limo templum Diuinæ Maieſtatis arte ineffabili conſtruentem. Audiſtis in terris Deum, in cælis hominem ſacramento incomprehenſibili collocari. Audiſtis inaudita ratione in vno corpore Deum hominemque miſceri. Audiſtis fragilem noſtræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: * Quia ex te ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

DEnique ne tanto ponderi cæleſtis fabricæ in Maria ſubtilis noſtri corporis arena ſuccumberet, & in virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præceſſit, dicens: Ne timeas Maria. Ante cauſam dignitas Virginis annuntiatur ex Nomine; nam Maria Hebræo ſermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit auctoritas. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam. Verum eſt, quia qui invenit gratiam, neſcit timere: Inueniſti gratiam.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt. * Et ſanctum Nomen eius. ℣. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria Patri. Et ſanctum.

Lectio nona de Homilia Dominica occurrentis.

Quando autem hoc Feſtum transfertur, quia ſcilicet cadit in Feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, nona Lectio eo anno erit.

Sacramentum reconciliationis no-

noſtræ; *ex Officio Beatæ Mariæ in Sabbato pro menſe Septembri.*

AD LAVDES.

& per Horas. Aña.

DUm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis. *Pſalm.* Dominus regnauit. *cum rnliquis. Aña.* Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, *Aña.* Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem: ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum. *Aña.* Iam hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit: ſurge amica mea, & veni. *Aña.* Specioſa facta es, & ſuavis in delicijs tuis, ſancta Dei genitrix.

Capitulum. Eccl. 24. b.

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.

Hymnus.

O Glorioſa Uirginum,
Sublimis inter ſidera;
Qui te creauit, paruulum
Lactente nutris vbere.
Quod Heua triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent vt aſtra flebiles,
Cæli recludis cardines.
Tu Regis alti ianua,
Et aula lucis fulgida:
Uitam datam per Uirginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Ieſu, tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus. Aña.

Beata es Maria, quæ credidiſti perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi a Domino, alleluia.

Oratio.

COncede, quæſumus omnipotens Deus: vt fideles tui, qui ſub ſanctiſſimæ Virginis Mariæ Nomine, & protectione lætantur; eius pia interceſſione à cunctis malis liberentur in terris, & ad gaudia æterna peruenire mereantur in cælis. Per Dominum noſtrum.

Et ſit Commemorat. Dominicæ occnrrentis tantùm.

Ad Primam in ℟. *breu. dicitur.* ℣. Qui natus es de Maria Uirgine.

Ad Tertiam. Aña. Læua eius. *Capitulum.* Ab initio.

℟. *bre.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie. ℣. Intende, proſperè procede, & regna. Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie tua. ℣. Adiuuauit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in medio eius, non commouebitur.

Ad Sextam. Aña. Nigra ſum.

Capitulum. Eccl. 24. b.

ET ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem

lem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius; & in plenitudine ſanctorum detentio mea.

℟. *bre.* Adiuuabit eam, * Deus vultu ſuo. Adiuuabit. ℣. Deus in medio eius, non commouebitur. Deus. Gloria Patri. Adiuuabit. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Ad Nonam. Aña. Specioſa.

Capitulum. *Eccl.24.b.*

IN plateis ſicut cinammomum, & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.

℟. *bre.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo ſuo habitare facit eam. Et præelegit. Gloria Patri. Elegit. ℣ Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In ſecundis Veſperis, omnia vt in primis.

Ad Magnificat. Aña.

Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus.

Et fit commemorat. Dominicæ tantùm.

DIE V. SEPTEMBRIS.

In feſto ſancti Laurentij Iuſtiniani Epiſcopi, & Confeſſ.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſ. Pontificis, præter Lectiones ſecundi Nocturni.

In Hymno ad Veſperas, & Matutinum dicatur: Hac die lætus meruit ſupremos laudis honores.

Oratio.

DA, quæſumus omnipotens Deus: vt beati Laurentij Confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

LAurentius ex illuſtri Iuſtinianorum familia Venetijs natus, eximiam vel puer morum grauitatem præ ſe tulit. Exacta inter pietatis officia adoleſcentia ad caſtum Verbi, & animæ connubium à Diuina Sapientia inuitatus, de religioſæ vitæ inſtituto capeſſendo deliberare cœpit. Nouæ itaque militiæ clam proludens, præter alias corporis afflictiones, ſuper nudos cubabat aſſeres, ſedenſque velut arbiter hinc inter ſæculi blandimenta, paratasque á matre nuptias, illinc clauſtrales inter auſteritates, oculis in Chriſti patientis crucem conuerſis. Tu (inquit) es Domine ſpes mea, ibi poſuiſti certiſſimum refugium tuum; ad Canonicorum ſancti Georgij in Alga Congregationem conuolauit, vbi nobis excogitatis cruciatibus acriùs in ſe ipſum, veluti in hoſtem infenſiſſimum, inſtau-

rans bellum, nullam adeo ſibi obiectationem indulgebat, vt ne in domeſticum vmquam hortum, nec in paternam quidem domum, niſi cùm morienti matri extrema pietatis officia ſiccis oculis perſoluit, exinde intrauerit. Par erat obedientiæ, manſuetudinis, ac præcipuè humilitatis ſtudium, cum abiectiſſima quæque cœnobij munia ſibi vltró deſumeret, celeberrima per vrbis loca non tám victum, quám ludibria emendicaret, illataſque contumelias, ac calumnias, immotus ac ſilens perferret; aſſiduæ præſertim orationis ſubſidio, qua ſæpé per mentis exceſſum rapiebatur in Deum, tantoque cor eius æſtuabat ardore, vt nutantes etiam Sodales ad perſeuerantiam, ad Ieſu Chriſti amorem inflammaret.

℟. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

AB Eugenio quarto Patriæ Epiſcopus deſignatus, quem magna contentione honorem detrectauerat maiori geſſit cum laude, nam conſueti viuendi ratione nihil admodum immutata: paupertatem, quam ſemper coluerat, in menſa, ſupellectili ac lecto perpetuo retinuit; modicam domi alebat familiam, quód grandem alteram ſibi eſſe diceret, pauperes Chriſti ſignificans. Quacumque adiretur hora præſto omnibus erat, paterna omnes charitate alleuabat, non renuens, vel ære ſe alieno grauare, dum illorum ne inopiæ deeſſet; rogatus qua ſpe id faceret? Domini mei, qui pro me diſſoluere facilè poterit, reſpondebat. Spem autem non confundere Diuina Prouidentia ſub miſſis inopinatò ſubſidijs iugiter declarabat. Plura Virginum Monaſteria conſtruxit, quas etiam ad perfectioris vitæ rationem ſua vigilantia compoſuit. Matronis à ſæculi pompis, & ornatus vanitate reuocandis, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac moribus reformandis maximoperè ſtuduit: dignus ſané qui ab eodem Eugenio gloria, & decus Præſulum coram Cardinalibus vocaretur, & qui à Nicolao quinto eius ſuceſſore, translato é Gradenſi Ciuitate titulo, primus Uenetiarum Patriarcha renuntiaretur.

℟. Poſui adiutorium ſuper potentem, & exaltaui electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus enim mea.

Lectio vj.

LAcrymarum dono inſignitus, omnipotenti Deo placationis hoſtiam quotidiè offerebat, quod cùm aliquando nocte

Do-

Domicæ Natiuitatis perageret, Chriſtum Ieſum ſub pulcherrimi infantis ſpecie videre pro meruit; tantumque in eo erat commiſſi gregis præſidium, vt cælitùs aliquando acceptum fuerit, Pontificis ſui interceſſione, ac meritis ſtetiſſe Rempublicam. Prophetiæ ſpiritu afflatus, plura humanæ cognitioni prorſus imperuia prædixit; morbos ac dæmones ſuis precibus ſæpè fugauit, libros etiam cæleſtem doctrinam, ac pietatem ſpirantes, Grammaticæ penè rudis, conſcripſit. Denique cum lethalem incidiſſet in morbum, & commodiorem domeſtici lectum ſeni, atque ægro pararent, adverſatus eiuſmodi delicias, tamquam à duriſſima morientis Domini ſui cruce plus nimio abhorrentes, conſueto in ſtramine ſe iuſſit deponi, & finem vitæ ſuæ aduentare prænoſcens, ſublatis in cælum oculis venio (inquit) ad te ò bone Ieſu; ac die Octaua Ianuarij obdormiuit in Domino. Pretioſam eius mortem teſtati ſunt Angelici concentus, à Cartuſianis quibuſdam Monachis auditi, & ſacrum cadauer per duos vltra menſes inhumatum, ſuaui fragrans odore, & rubeſcente facie integrum, atque incorruptum, ac noua poſt mortem patrata miracula, quibus permotus Alexander Octauus Pontifex Maximus eum in Sanctorum numere adſcripſit; Innocentius verò Duodecimus quintam Septembris diem, qua vir ſanctus ad Pontificiam primò Cathedram fuerat euectus, celebrando illius feſto aſſignauit.

℟. Iſt eſt qui ante Deum magnas virtutes operarus eſt, & omnis terra doctrina eius repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cæleſtia regna. Ipſe intercedat. Gloria Patri. Ipſe intercedat.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangel. Homo peregrè proficiſcens. *de Communi Confeſſoris Pontificis.*

DIE VIJ. SEPTEMBRIS.

In feſto Sanctæ Roſaliæ Virginis Panormitanæ.

A Sacr. Rituum Congregatione aprobatum, & extenſum.

Pro Eccleſia Hiſpalenſi Dupl. & pro Diœceſi Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum præter ea, quæ ſequuntur.

Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, vt ſicut de Beatæ Roſaliæ Uirginis tuæ feſtiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu, & eius interceſſione, ab iracundiæ tuæ flagellis miſericordiтèr liberemur. Per Dominum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura ocurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio jv.

ROſalia Uirgo, orta Panormi nobili genere, ſuam originem trahens à Carolo Magno, in Quiſquinæ montem quadraginta circitèr mille paſſibus diſtantem, ſola recedens, Paternæ domus opes, delicias, ac ſpem maioris amplitudinis, ob propinquitatem, & beneuolentiam Regum Siciliæ contemnens, cum tetricæ rupis horrore, & aſperitate commutauit; inque antrum, cui tunc vnicus, & quidem anguſtus aditus è ſuperiori loco patebat, intrepidè deſcendit, ea mente, quam caractèribus ſaxo inſculptis adhuc patentibus expreſſit: Ego Roſalia Sinibaldi Quiſquinæ, & Roſarum Domini filia, amore Domini mei Ieſu Chriſti, in hoc antro habitare decreui. Qua inſcriptione oculis obverſante, ſuſceptæ vitæ propoſitum altiùs cordi infigere, ac Diuinæ beneuolentiæ ſigna ad caſtiſſimæ mentis blandimenta viciſſim prouocare conſueuit.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

IN hac ſpecu ſubterranea, ſibi, & mundo emortua, conſepultaque Ieſu Chriſto, vt ſoli Deo viueret, diù, noctuquè latuit, cauens precipué in montibus Paterni principatus; né fortè agnita in Domum, Vrbemque patriam abduceretur invita. Callidas dœmonum inſidias, quæ aſperæ vitæ tædium, & ſolitudinis horrorem animo ingerebant, acritèr ſæuiendo in ſe, ferrea catena, vigilijs, & humi cubatione, forti animo ſuperaſſe antiquæ icones ſignificant; cumquè humanis deſtituta præſidijs, nihil ſolatij aliundè hauriret, quàm è Cælo, Dominus, qui conſolatur, & coronat Sanctos ſuos, Angelicis delicijs illam ſæpius recreabat.

℟. Dilexiſti iuſtitiam.

Lectio vj.

CÆleſti deindè conſilio ex antro Quiſquinenſi in horridoirem ſpeluncam Peregrini montis tribus ferè mille paſſibus procul Panormo Roſalia ſe tranſtulit, vt quò difficiliorem pugnam ſecum ipſa committeret è conſpectu domus paternæ, eo laudabiliùs de contemptis mundi illecebris triumpharet: latebat ibi ad partem læuam anguſtus concauus, quem eadem poſt repertas eius Reliquias illic venanti, cui ſe videndam præbuit, dixit eſſe ſuam cellam Peregrinam, vbi multum ætatis exegiſſet. Hic tanquam columba in foraminibus petrę gemens, in cæleſtium rerum contemplatione defixa, ad perfectiſſimam Diuini amoris normam in ſolitudine vitam traduxit, & Sanctiſſimæ perennibus Charitatis Roſis, & Virginitatis Lilijs coro-

coronata depoſuit pridie nonas Septembris; cuius Corpus, Vrbano Octavo Pontifice Maximo, diuinitus anno Iubilæi totius Siciliæ plauſu repertum, illam á peſte liberauit.

℟. Afferentur Regi.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorij Papæ, in Euang. Simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus. *de Communi Virginum.*

DIE XVIJ. SEPTEMBRIS.

Officivm proprivm.

In feſto Beati Petri de Arbues Martyris, Canonici Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, & primi Inquiſitoris in Regno Aragoniæ.

Duplex.

Omnia de Communi vnius Martyris præter ea, quæ hic aponuntur propria.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt Beati Petri Martyris tui fidem congrua deuotione ſectemur; qui pro eiuſdem Fidei defenſione martyrij palmam meruit obtinere. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno.

Leguntur Lectiones de Epiſt. B. Pauli Apoſt. ad Romanos: Fratres debitores ſumus. *vt in Communi plurim. Martyrum. Cum Reſponſorijs vnius Martyris.*

In ſecundo Nocturno.

Lectio jv.

PEtrus cognomento de Arbues, Epilæ in Aragonia natus, à pijs, honeſtiſque parentibus, vna cum ſanguinis claritate hauſit, & pietatem; ab ipſis enim incunabulis optimis moribus imbutus, pueritiam ita tranſegit, vt nihil prius ætate illa ſibi duxerit excolendum, quam litteras, & Chriſtianas virtutes. Adoleſcens liberalibus diſciplinis eruditus, Bononiæ in Collegio Hiſpanorum adſcriptus, doctrina, & eruditione adeo excelluit, vt indè Magiſtralem Sacræ Theologiæ Lauream reportauerit. Mox in Canonicum Metropolitanæ Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ adſcitus, Regularem, quam vouerat obſeruantiam conſtantiſſime ſemper retinuit: Suæque non modo, ſed alienæ etiam ſaluti pari ſtudio, ac ſolicitudine invigilans, virtutibus omnibus ſic enituit, vt Ferdinandus, & Eliſabetha Catholici Hiſpaniarum Reges, cum vellent é ſuis finibus Iudaicam exterminare perfidiam, ipſum Fidei Inquiſitorem in Aragonia primum eligendum curaverint.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & á ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Deſcenditque cum illo in foveam: Et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi, &c.

Le-

Lectio v.

CUm igitur Sacrum Inquiſitionis munus pari animi ardore, & Fidei Catholicæ emolumento perageret, magnum ſibi contraxit odium ab ijs, qui Iudaicam perfidiam mordicus aſſerebant, in eamque relapſi fuerant. De quorum inſidijs per Amicos, & Conſanguineos certior factus, eiſque ſuadentibus, vt ſi vitæ conſulere vellet, ſuſcepto ſe miniſterio abdicaret, conſtanter reſpondit, libenter ſe talem ob cauſam mortem ſubiturum, idque vnicé optare, ſe ex malo Sacerdote bonum fieri Maryrem: Nec abfuit optatis eventus, quippè nefarij illi homines habito ſæpé inter ſe conuenticulo, necem in Dei ſervum machinati ſunt, conductiſque ad ſcelus perpetrandum Sicarijs, Petrum ante Chorum Metropolitanæ Eccleſiæ orantem in principio Nocturni Officij, cum ea Pſalmi verba decantarentur: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde, iterato vulnere, læthaliter effecerunt.

℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine: *Et voluntate labiorum eius non fraudaiſti eum.

℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſſuiſti in capite eius Coronam de lapide pretioſo. Et voluntate, &c.

Lectio vj.

BIduum ſupervixit, Deo gratias agens, quod pro Fidei defenſione mortem mereretur oppetere; eundemque pro interfectoribus ſuis deprecans, poſt recepta Eccleſiæ Sacramenta, decimo quinto Kalendas Octobris, anno à reparata ſalute milleſimo quadrigenteſimo octogeſimo quinto obdormiuit in Domino. Non defuerunt poſt mortem prodigia, quorum illud in primis memorabile, multiplicatio nimirum, & effervefcentia effuſi cruoris, Apoſtolicæ Sedis Iudicio comprobatum. Eius Corpus in eodem loco, in quo martyrium paſſus fuerat, Ferdinandus, & Eliſabetha Regali munificentia elaborato marmore ſepeliendum curarunt: In Sacellum deindè à Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ Collegio magnificè conſtructum tranſlatum fuit, vbi ad præſens honorificè colitur: Eiuſque memoria, vt in Catalogo Beatorum Martyrum in poſterum haberetur, Alexander Papa Septimus indulſit.

℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus: * Et Coronam pulchritudinis poſſuit ſuper caput eius.

℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et Coronam, &c. Gloria Patri, &c. Et Coronam, &c.

In

In tertio Nocturno.

Homilia ſuper Euangelium: Nihil eſt opertum, quod non reueletur, *vt in feſto ſancti Caliſti die 14. Octobris.*

Si hoc feſtum venerit in quatuor Temporibus menſis Septembris dicitur nona Lectio, & Commemoratio feriæ occurrentis.

Miſſa: In virtute tua, *de Communi vnius Martyris non Pontificis, cum Oratione propria, vt ſupra in Officio, & Euangelio:* Nihil eſt opertum, *vt in dicto feſto ſancti Caliſti.*

IN FESTO BEATISSIMÆ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

Duplex.

In omnibus Hiſpaniar. Regnis, & Prouincijs Catholico Regi ſubiectis, ex conceſsione SS. D. N. Innocentij Vndecimi celebrandum XXIV Septembris.

Omnia dicuntur, vt in feſto ad Niues 5. Auguſti, præter ea, quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui per glorioſiſſimam Filij tui Matrem ad liberandos Chriſti fideles â poteſtate Paganorum, noua Eccleſiam tuam prole amplificare dignatus es: præſta quæſumus; vt quam piè veneramur tanti operis Inſtitutricem, eius pariter meritis, & interceſſione, á peccatis omnibus, & captiuitate dæmonis liberemur. Per eumdem Dominum noſtrum.

In ſecundo Nocturno.

Lectio. iv.

QVo tempore maior feliciorque Hiſpaniarum pars diro Saracenorum opprimebatur iugo, innumeri que fideles ſub immani ſeruitute, maximo cum periculo Chriſtianæ fidei ibiurandę, amittendæque ſalutis æternæ, infeliciter detinebantur: Beatiſſima Cælorum Regina, tot tantiſque benigniter occurrens malis, nimiam charitatem ſuam in ijs redimendis oſtendit. Nam Sancto Petro Nolaſco, pietate, & opibus florenti, qui ſanctis vacans meditationibus, iugiter animo recogitabat, qua ratione tot Chriſtianorum ærumnis ſub Maurorum captiuitate degentium ſuccurri poſſet, ipſamet Beatiſſima Virgo ſerena fronte ſe conſpiciendam dedit, & acceptiſſimum ſibi, ac Vnigenito ſuo Filio fore dixit, ſi ſuum in honorem inſtitueretur ordo Religioſorum, quibus cura incumberet captiuos è Turcarum tyrannide liberandi; qua cæleſti viſione Vir Dei recreatus, mirum eſt, quo charitatis ardore flagare cœperit, hoc vnum ſeruans in corde ſuo, vt ipſe, ac iuſtituenda ab eo Religio maximam illam charitatem ſedulò exercerent, vt quiſque animam ſuam poneret pro amicis, & proximis ſuis.

℟. Sicut cedius. 73.

Lectio v.

EA ipſa nocte eadem Virgo Sanctiſſima beato Raymundo de Peñafort., & Jacobo Aragoniæ Regi apparuit, idipſum de Religioſis inſtituendis admonens: ſuadenſque, vt opem pro conſtructione tanti operis ferrent. Petrus autem ſtatim ad Raymundi pedes, qui ipſi erat à ſacris confeſſionibus, aduolans, ei rem omnem aperuit, quem etiam cælitus inſtructum reperit, eiuſque directioni ſe humillimè ſubiecit. At ſuperueniens Iacobus Rex, quam, & ipſe acceperat à Beatiſſima Uirgine reuelationem exequi ſtatuit. Vnde collatis inter ſe conſilijs, & conſentientibus animis, in honorem eiuſdem Uirginis Matris Ordinem inſtituere aggreſſi ſunt ſub inuocatione Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Capituorum.

℞. Quæ eſt iſta. 73.

Lectio vj.

DIe igitur decima Auguſti Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo octavo, Rex idem Iacobus eam inſtitutionem, iam pridem ab ijſdem Sanctis Viris conceptam exequi ſtatuit; ſodalibus quarto voto adſtrictis manendi in pignus ſub Paganorum poteſtate, ſi pro Chriſtianorum liberatione opus fuerit. Quibus Rex ipſe arma ſua regia in pectore deferre conceſſit, & a Gregorio Nono illud tam præcellentis erga proximum charitatis inſtitutum, & Religionem confirmari curauit. Sed, & ipſe Deus per Virginem Matrem incrementum dedit, vt talis inſtitutio celeriùs, ac fœliciùs totum per Orbem divulgaretur, ſanctiſque viris floruerit charitate, ac pietate inſignibus, qui eleemoſynas á Chriſti fidelibus collectas in pretium redemptionis ſuorum proximorum expenderent, ſeque ipſos interdum darent in redemptionem multorum. Vt autem tanti beneficij, & inſtitutionis debitæ Deo, & Virgini Matri referantur gratiæ, Sedes Apoſtolica hanc peculiarem feſtiuitatem celebrari, & officium recitari indulſit, cùm alia feré innumera eidem Ordini priuilegia pariter contuliſſet.

℞. Ornatam monilibus. 74.

In tertio Nocturno.

℞. *viij.* Beata es Maria Dei genitrix, patrona, & auxiliatrix noſtra: * Cuius nutu hæc tua ad fidelium redemptionem inſtituta eſt Religio. ℣. Tua ſancta interceſſione adiuua nos Uirgo immaculata. Cuius nutu. Gloria Patri. Cuius.

Ad Veſper. Aña. Dum eſſet. *cum reliq. de Offic. Parvo Beatæ Matiæ, Pſam. Capitul. Hymn. &* ℣. *vt in primis Veſperis.*

Ad Magnificat. Aña.

Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus.

Ora.

Oratio. Deus, qui per glorioſiſſimam Filij tui. *vt ſuprà.*

Miſſa, vt in feſto ad Niues.

Oratio. Deus, qui. *vt ſuprà.*

DIE X. OCTOBRIS.

In feſto ſancti Franciſci Borgiæ Confeſſ. Duplex ſecundæ Claſſis.

In omnibus Regnis Hiſpaniarum Regi ſubiectis, à Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio Vndecimo.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis.

In Hymno: Iſte Confeſſor. *mutatur tertius Verſus.*

Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, veræ humilitatis, & exemplar, & præmium: quæſumus, vt ſicut beatum Franciſcum in terreni honoris contemptu imitatorem tui glorioſum effeciſti; ita nos eiuſdem imitationis, & gloriæ tribuas eſſe conſortes. Qui viuis & regnas.

In primo Nocturno Lectiones de Communi Confeſſoris non Pontificis.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

FRanciſcus Gandiæ Dux quartus, Ioanne Borgia, & Ioanna Aragonia Ferdinandi Catholici nepte genitus, poſt puerilem ætatem inter domeſticos mira innocentia, & pietate tranſactam, in aula primum Caroli Quinti Cæſaris, mox in Cathalauniæ adminiſtratione admirabilior fuit Chriſtianæ virtutis, & vitæ auſterioris exemplis. Ad Granatenſe ſepulchrum Iſabellam Imperatricem cum detuliſſet, in eius vultu fæde commutato mortalium omnium caducitatem relegens, voto ſe adſtrinxit, rebus omnibus, cum primùm liceret, abiectis, regum Regi vnicè inſeruiendi. Inde tantum virtutis incrementum fecit, vt inter negotiorum turbas religioſæ perfectionis ſimillimam imaginem referens, Miraculum principum appellaretur. ℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

MOrtua Eleonora de Caſtro coniuge, ingreſſus eſt Societatem Ieſu, vt in ea lateret ſecuriùs, & præcluderet dignitatibus aditum, interpoſita voti religione: dignus quem, & viri Principes complures in amplectẽdo ſeueriori inſtituto fuerint ſequuti, & Carolus Quintus ipſe in abdicando Imperio hortatorem ſibi, aut ducem extitiſſe non diffiteretur. In eo arctioris vitæ ſtudio Franciſcus ieiunijs, catenis ferreis, aſperrimo cilicio, cruentis longiſque verberationibus, ſomno breuiſſimo, corpus ad extremam vſque maciem redegit; nullis preterea parcens laboribus ad ſui victoriam, & ad ſalutem animarum. Tot itaque inſtructus virtutibus, à ſancto

Igna-

Ignatio primum Generalis Commiſſarius in Hiſpanijs, nec multò poſt Præpoſitus Generalis Tertius á Societate vniuerſá, licet inuitus, eligitur. Quo in munere Principibus, ac Summis Pontificibus prudentia, ac morum ſanctitate apprimè charus, præter complura vel condicta, vel aucta vbique domicilia, Socios in regnum Poloniæ, in inſulas Occeani, in Mexicanam, & Peruanam Prouincias inuexit: miſſis quoque in alias regiones Apoſtolicis viris, qui prædicatione, ſudoribus, ſanguine, Fidem Catholicam Romanam propagarunt.
℟. Amauit eum Dominus. 9.

Lectio vj.

DE ſe ita demiſſè ſentiebat, vt Peccatoris nomen ſibi proprium faceret. Romanam purpuram, Summis Pontificibus ſæpiùs oblatam, inuicta humilitatis conſtantia recuſauit. Verrere ſordes, emendicare victum oſtiatim, ægris miniſtrare in noſocomijs, mundi ac ſui contemptor, in delicijs habuit. Singulis diebus multas continenter horas, frequenter octo, quandoque decem dabat cæleſtium contemplationi. Centies quotidie de genu Deum adorabat. Numquam a ſacrificando abſtinuit: prodebatque ſeſe Diuinus, quo æſtuabat ardor, eius vultu ſacram Hoſtiam offerentis, aut concionantis interdum radiante. Sanctiſſimum Chriſti Corpus in Euchariſtia latens, vbi aſſeruaretur, inſtinctu cęleſti ſentiebat. Cardinali Alexandrino ad coniungendos contra Turcam Chriſtianos Principes Legato comes additus à B. Pió Quinto, arduum iter, fractis iam penè viribus, ſuſcepit ex obedientia; in qua, & vitę curſum Romæ, vt optarat, fœliciter conſummauit, anno ætatis ſuę ſexageſimo ſecundo, ſalutis verò milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. A Sancta Tereſia, quæ eius vtebatur conſilijs, Vir ſanctus, á Gregorio Decimotertio Fidelis adminiſter appellatus: Demum à Clemente Decimo, pluribus magniſque clarus miraculis, in Sanctorum numerum aſcriptus.
℟. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Hieronymi Presbyteri in Euangel. Ecce nos reliquimus omnia. *vt in Communi Abbatum.*

Miſſa: Os iuſti. *de Commu. Confeſſoris, non Pontificis. Prima Oratio propria, vt in Officio.*

DIE X. OCTOBRIS.

In feſto ſancti Ludovici Bertandi Ordinis Prædicatorum.
Confeſſ. non Pontif. Duplex.

Oratio.

DEus, qui beatum Ludovicum Confeſſorem tuum per corporis mortificationem, & fidei præconium, Sanctorum gloriæ

gloriæ coæquaſti ; præſta, vt quod fide profitemur, pietatis operibus iugiter impleamus. Per Dominum.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

LUdouicus Bertrandus Valentię in Hiſpania Tarraconenſi, honeſtis, pijſque Parentibus natus, ab ipſa penè infantia, ſanctitatis, ac pœnitentię tyrocinium inchoauit. Exacta pueritia interdum nuda cubabat humo, noctes ſæpè ducebat inſomnes, ac in pietatis, & charitatis officia ſedulus incumbebat. Mundi contemptu, ac Religioſæ vitæ ardore ſuccenſus, Parentum artes, quibus eum à ſancto propoſito dimouere conobantur, mira conſtantia ſuperauit. Sui tandem voti compos effectus Prędicatorum Ordinis nomen dedit, vt vel prouectoribus ipſis, quamvis Tyro, fuerit exemplo. Emiſſa profeſſione mirum quot, & quantis virtutum incrementis priorem vitę rationem cumulat. Ieiunijs, flagellis, cilicijs, vigilijſque carnem domans, mentem iugi orationis pabulò nutriebat, ex quo tantum internæ animi modeſtiæ, ac puritatis hauriebat, vt vel in eius oculis, ac vultu appareret.

℞. Honeſtum fecit. 9

Lectio v.

ADhuc iuuenis Nouitiorum prefectus inſtitutioni, eos ad omnem verbò, & exemplo Sanctimoniam effórmebat. Ad Occidentales Indos Euangelicus Prędicator miſſus, quamvis vno tantùm Hiſpanico vteretur idiomate, eum tamen diverſæ, atque inter ſe diſſitæ Nationes, ſua veluti loquentem lingua, ſingulę audiebant; ex quibus innumeros ad Chriſtianam Fidem adduxit; ibique venenum non ſemel ſibi á Barbaris propinatum innoxié hauſit. Publicam vitiorum obiurgationem, tanquam in ſe vnum directam Nobilis quidam vlturus, mortem Ludovico intentat, cum ſtrictus in eum ſcopulus in Crucifixi formam repentè conuertitur. Quo miraculo nefarius Aggreſſor permotus ad Sancti Viri pedes prouolutus, tanti facinoris veniam enixè deprecatur.

℞. Amauit eum. 9.

Lectio vj.

HVmilitate, ac patientia inſignis, illud identidem vſurpabat. Domine hic vre, hic ſeca, hic non parcas, vt in ęternum parcas. Prophetico afflatus Spiritu multa prædixit. Ignem ſigno Crucis extinxit, tempeſtatem ſedauit, ferarum impetus cohibuit, mortuis vitam, cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis reddidit auditum. Tandem durioris pœnitentiæ laboribus fractus, in morbum incidit. Sacriſque Miſterijs ritè expiatus, migrauit in Cælum, ſeptimo Idus Octobris, anno milleſimo quin-

gentesimo octogesimo primo, ætatis verò ſuæ quinquageſimo quinto. Quem multis etiam poſt obitum miraculis clarum Paulus V. Beatorum, Clemens verò X. Sanctorum numero adcripſit. Eius demùm feſtum Alexander VIII. inſtante Rege Catholico ab vniuerſo ditionis ipſius Clero ſeculari, ſub ritu duplici cele-brandum decreuit, Sanctumque Confeſſorem noui Regni Granatenſis Patronum Apoſtolica auctoritate declarauit.

℟. Iſte homo. 10.

In tertio Nocturno. Homilia ſuper Euangel. Sint lumbi veſtri præcincti: *de Communi. Miſſa* Os iuſti. *de Communi, Oratio vt ſuprà.*

DIE XIIJ. OCTOBRIS.

In feſto Sancti Eduardi Regis Angliæ, & Confeſſor. Semi-duplex.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

In Hymno: Iſte Confeſſor. *mutatur tertius Verſus.*

Oratio.

DEus, qui beatum Regem Eduardum Confeſſorem tuum æternitatis gloria coronaſti: fac nos quæſumus, ita eum venerari in terris, vt cum eo regnare poſſimus in cælis. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

EDuardus, cognomento Confeſſor, nepos Sancti Eduardi Regis, & Martyris, Anglo-Saxonum Regum vltimús (quem futurum Regem Britualdo viro ſanctiſſimo in mentis exceſſu Dominus demonſtrauit (decennis á Danis Angliam vaſtantibus quæſitus ad necem, exulare cogitur apud Auunculum Normanniæ Ducem: vbi in medijs vitiorum illecebris talem ſe exhibuit integritate vitæ, morumque innocentia, vt omnibus admirationi eſſet. Eluxit in eo, vel tum, mira pietas in Deum ac res diuinas, fuitque ingenio mitiſſimo, atque ab omni dominandi cupiditate alieno: cuius ea vox fertur, Malle ſe Regno carere, quod ſine cæde, & ſanguine obtinere non poſſit.

℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

EXtinctis mox tyrannis qui fratribus ſuis vitam, & Regnum eripuerant, reuocatur in patriam: vbi ſummis omnium votis, & gratulatione Regno potitus, ad hoſtilium irarum delenda veſtigia totum ſe conuertit, à ſacris exorſus ac Diuorum templis: quorum alia á fundamentis erexit, alia refecit, auxitque reditibus ac priuilegijs: in

eam

eam curam potiſſimum intentus, vt refloreſceret collapſa Religio. Ab aulæ proceribus compulſum ad nuptias, conſtans eſt aſſertio ſcriptorum, cum virgine ſponſa virginitatem in matrimonio ſeruaſſe. Tantus in eo fuit in Chriſtum amor, & fides, vt illum aliquando inter Miſſarum ſolemnia videre meruerit blando vultu, & diuina luce fulgentem. Ob profuſam charitatem, orphanorum, & egenorum pater paſſim dicebatur, numquam lætior, quàm cùm regios theſauros exhauſiſſet in pauperes.

℞. Amauit eum Dominus. 9.

Lectio vj.

PRophetiæ dono illuſtris, de Angliæ futuro ſtatu multa cælitus præuidit, & illud in primis memorabile, quod Svveyni Danorum Regis in mare demerſi mortem, dum Angliam invadendi animo claſſem conſcenderet, eodem quo accidit momento, diuinitus intellexit. Ioannem Evangeliſtam mirificè coluit, nihil cuiquam, quod eius nomine peteretur, negare ſolitus. Cui olim ſub lacera veſte ſuo nomine ſtipem roganti, cum nummi deeſſent, detractum ex digito annulum porrexit, quem Diuus non ita multò poſt Eduardo remiſit, vna cum nuntio ſecuturæ mortis. Quare Rex, indictis pro ſe precibus, ipſo ab Evangeliſta prædicto die, pijſſimè obijt Nonis videlicet Ianuarij, anno ſalutis milleſimo ſexageſimo ſexto, quem ſequenti ſæculo, Alexander Papa Tertius, miraculis clarum, Sanctorum factis adſcripſit. At eius memoriam Innocentius Vndecimus officio publico per vniuerſam Eccleſiam eo die celebrari præcepit, quo annis ab obitu ſex, & triginta translatum eius corpus incorruptum, & ſuavem ſpirans odorem, repertum eſt.

℞. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Evangel. Sint lumbi veſtri præcincti. *vt in Communi Confeſſor. non Pontificis.*

Miſſa: Os iuſti. *de eodem Communi Confeſſ. non Pontif. Oratio.* Deus, qui *vt ſuprà. Euang.* Sint lumbi veſtri præcincti.

DIE XVIJ. OCTOBRIS.

In feſto S. Heduvigis Viduæ. Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi Sanctarum, nec Virginum, nec Martyr. præter ea quæ hic habentur.

Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Heduvigis feſtiuitate gaudemus ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum noſtrum.

In

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

HEduvigis Regijs clara natalibus, innocentia tamen vitæ longê clarior, ſanctæ Eliſabeth filiæ Regis Hungariæ matertera, Bertholdi, & Agnetis Morauiæ Marchionum filia, animi ab ineunte ætate moderationem protulit; adhuc enim puellula puerilibus abſtinuit: & duodennis Henrico Poloniæ Duci à parentibus nuptui tradita, thalami fide ſanctè ſeruata, prolem inde ſuſceptam in Dei timore erudiuit. Vt autem commodius Deo vacaret, ex pari voto, & conſenſu vnanimi ad ſeparationem thori virum induxit; quo defuncto, ipſa in Monaſterio Trebnicenſi, Deo, quem aſſiduis precibus exorauerat, inſpirante, Ciſtercienſem deuota ſumpſit habitum; in eoque contemplationi intenta, Diuinis Officijs, & Miſſarum ſolemnijs á ſolis ortu ad meridiem vſque aſſidua aſſiſtens, antiquum humani generis hoſtem fortis contempſit.

℞. Propter veritatem. 69.

Lectio v.

SÆculi autem commercia, ni Diuina, vel animarum ſalutem attingerent, audiere, vel loqui non ſuſtinuit: prudentia in agendis ſic emicuit, vt neque exceſſus eſſet in modo, nec error in ordine; comis alioqui, & manſueta in proximum. Grandem autem de ſe triumphum ieiunijs, & vigilijs, veſtiumque aſperitate, auſtera carnem macerans, reportauit: hinc ſublimioribus florens virtutibus Chriſtianis, conſiliorum grauitatem, animique candore, & quiete in eximium religioſæ pietatis euaſit exemplar: omnibus ſe vltro ſubijcere, atque viliora præ cæteris Monialibus alacriter munia ſubire; pauperibus etiam flexo genu miniſtrare, leproſorum pedes abluere, & oſculari ipſi familiare erat, neque illorum vlcera ſanie manantia ſui victrix abhorruit.

℞. Dilexiſti iuſtitiam. 70.

Lectio vj.

MIra fuit eius patientia, animique conſtantia; præcipuè verò in morte Henrici Ducis Sileſiæ, ſui, quem maternè diligebat, filij in bello à Tartaris cæſi, enituit, potiùs enim gratias Deo, quàm filio lacrymas reddidit. Miraculorum denique gloria percrebuit; puerum enim demerſum, & molendini rotis alliſum, & prorſus attritum, inuocata, vitæ reſtituit, aliaque præſtitit, vt ritè ijs Clemens Quartus probatis, Sanctorum numero eam adſcripſerit, eiuſque feſtum in Polonia, vbi præcipua veneratione vti Patrona colitur, die decimaquinta Octobris celebrari conceſſerit.

ceſſerit; quod deindè vt decima ſeptima in tota Eccleſia fieret, Innocentius Vndecimus ampliauit.

℞. Fallax gratia. 70.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Euangelium. Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito. *vt in Communi non Virginum.*

Miſſa de Communi nec Virginum nec Martyrum, cum Oratione, vt ſuprà.

DIE XXIIJ. OCTOBRIS.

In feſto S. Petri Paſchaſij Epiſcopi Giennenſis, & martyr. Duplex. in Hiſpania tantùm.

Omnia de Communi vnius Martyris, præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

DEus, humillium conſolator, & fidelium fortitudo, cuius charitatis ardore martyr, & Pontifex beatus Petrus Paſchaſius ætate teneros, & ſexu fragiles ab impiorum captiuitate propria ſeruitute redemit: eius quæſumus ſubſidijs ab omni nos abſolue fragilitatis humanæ reatu; vt ad cuncta charitatis opera reparemur; & quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus, cognomento Paſchaſius, Valentiæ, dum ſub Maurorum iugo teneretur, Chriſtianis parentibus natus, liberalibus artibus, ſacriſque diſciplinis eruditus, inter Canonicos Eccleſiæ Valentinæ adſcribitur. Mox erogatis in pauperes ampliſſimis reditibus, vt ſe totum pietati conuerteret, Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ingreditur: in quo ſub ipſo ſancto Petro Nolaſco Magiſtro adeò exactam viuendi rationem inſtituit, vt ieiunijs, & mortificationibus exemplar omnibus eſſet.

℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

DEinde Sacram Theologiam magno auditorum profectu publicè docuit: quare Iacobus primus Aragoniæ Rex, eius doctrinæ fama permotus, illum in filij ſui Sanctij Archiepiſcopi Toletani, qui, & eidem Ordini nomen dederat, in Præceptorem, & directorem, collato ab Urbano Quarto titulo Epiſcopatus Granatenſis, delegit. Quot in mune-

re ita ſe geſſit, vt Ordinem ſuum Toleti, & alibi mirificè propagauerit: donec defuncto Sanctio, ad Giennenſem Eccleſiam omnibus votis præficitur. In eius verò regimine, dum ouium ſibi creditarum ſaluti ſedulo inuigilat, à Mauris captus, in vinculis Granatæ iam ſeptuagenarius detinetur.

℞. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine: * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

Lectio vj.

VErum in tanto vitæ diſcrimine, ærumnis, & calamitatibus preſſus, ſumma conſtantia Catholicam Religionem tueri, fideleſque in ergaſtulis miſeré detentos, opibus, & pecunijs in propriam libertatem pluries paratis iuuit: ac pueros, & fœminas in animæ diſcrimen ob ætatis vel ſexus imbecillitatem procliues, contempta propria ſalute, redemit. Cumque inter infideles ipſos non prætermitteret Catholicam Religionem propugnare, ac Saracenorum errores doctiſſimis commentarijs confutare; ipſum Granatæ, dum Sacra operatur, obtruncari Rex Mahumetanus iubet. Martyris ſui ſanctitatem multis Deus miraculis illuſtrauit: diuque á fidelibus veneratione habitum, Clemens Decimus Pontifex Maximus Eccleſiaſtici cultus decreto decorauit.

℞. Stola iucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et Coronam.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorij Papæ in Euangelium: Si quis vult poſt me venire. *de eodem Communi.*

Miſſa: Sacerdotes Dei. *de eodem Communi. Prima Oratio propria*: Deus Humilium conſolator. *vt in Officio.*

Secreta, & Poſtcommunio vt ſequitur.

Secreta.

OBlationes noſtras, quæſumus Domine, Beati Petri Paſchaſij martyris tui atque Pontificis commendet oratio: menteſque noſtras geminæ charitatis flamma ſuccendat. Per Dominum noſtrum.

Poſtcommunio.

CÆleſtis doni benedictione percepta: te Domine ſuppliciter exoramus; vt Beati Petri Paſchaſij martyris tui atque Pontificis veraciter facias imitatores, quem hodie per charitatis ſtudium cæleſtis aula

aula ſuſcepit. Per Dominum noſtrum.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In feſto ſancti Raphaelis Archangeli. Duplex minus.

AD UESPERAS.

Aña. Miſſus eſt Angelus Raphael. *cum reliquis de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica, & loco vltim. Pſalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Tob. cap. 12.

QUando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Hymnus.

TIbi Chriſte ſplendor Patris,
Uita, virtus cordium:
In conſpectu Angelorum
Uotis, voce pſallimus:
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes,
Omnes cæli principes,
Sed præcipué fidelem
Medicum, & comitem
Raphaelem, in virtute
Alligantem dæmonem.
Quo cuſtode procul pelle,
Rex Chriſte pijſſime,
Omne nefas inimici:
Mundo corde, & corpore,
Paradiſo redde tuo
Nos ſola clementia.
Gloriam Patri melodis
Perſonemus vocibus:
Gloriam Chriſto canamus,
Gloriam Paraclito:
Qui trinus, & vnus Deus
Extat ante ſæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus iuxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu ſua.

Ad Magnificat. Aña.

Ego ſum Raphael Angelus, qui aſto ante Dominum, vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.

Oratio.

DEus, qui beatum Raphaëlem Archangelum Tobiæ famulo tuo comitem dediſti in via: concede nobis famulis tuis: vt eiuſdem ſemper protegamur cuſtodia, & muniamur auxilio. Per Dominum noſtrum.

Ad Matutinum. Inuitatorium.

Regem Archangelorum Dominum: * Venite adoremus.

Hymnus. Tibi Chriſte. *vt ſuprà in Veſperis.*

In primo Nocturno.

Aña. Ingreſſus Tobias inuenit iuuenem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum, & ignorans quod Angelus eſſet, ſalutavit eum. *Pſalm.* Domine Dominus noſter. *Aña.* Angelus Raphaél ſeipſum occultans, ait: Ego ſum Azarias magni Ananię filius *Pſalm.* In Domino confido. *Aña.* Sanum ducam filium

tuum in regionem Medorum, & ſanum tibi reducam, alleluia. *Pſalm*. Domine, quis habitabit. ℣. Data ſunt Angelo incenſa multa. ℟. Vt adoleret ea ante Altare aureum, quod eſt ante oculos Domini.

De libro Tobiæ.

Lectio j. *Cap*. 12.

VOcabit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitque ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum? Et reſpondens Tobias, dixit patri ſuo: Pater, quam mercedem dabimus? Aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabello ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipſum á deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto te pater mi, vt roges eum, ſi forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.

℟. In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei: * Et miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphaël, vt curaret eos ambos: quorum vno tempore ſunt orotiones in conſpectu Domini recitatæ. ℣. Tobias, & Sara in tribulatione poſiti, cum lachrymis orare cœperunt. Et miſſus eſt Angelus.

Lectio ij.

ET vocantes eum, pater ſcilicet, & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Etenim ſacramentum regis abſcondere, bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri, honorificum eſt. Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ. Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam á vobis occultum ſermonem. Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & dere linquebas prandium tuũ, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.

℟. Egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad

am-

ambulandum, & ſalutauit eum, & dixit: * Unde te habemus bone iuuenis? ℣. Et ignorans, quod Domini Angelus eſſet, ſalutauit eum, & dixit. Unde.

Lectio iij.

ET tunc miſit me Dominus, vt curatem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphaël Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Cumque hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram: ipſum benedicite, & cantate illi. Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. Tempus eſt ergo vt reuertar ad eum, qui me miſit; vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Et cum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt. Tunc poſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

℟. Ingreſſus Angelus ad Tobiam, ſalutauit eum, & dixit: Gaudium ſit tibi ſemper * Forti animo eſto, in proximo enim es, vt á Deo cureris. ℣. Et reſpondens Tobias, ait: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video. Forti animo. Gloria Patri. Forti animo.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Dixit autem Angelus: Apprehende branchiam piſcis, & trahe eum extra aquas. *Pſalmus.* Cæli enarrant. *Aña.* Obſecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt iſta, quæ de piſce ſeruare iuſſiſti. *Pſalm.* Domini eſt terra. *Aña.* Lumina fel ſanat, ſed virtus cordis, & iecoris, diaboli expellit poteſtatem. *Pſalmus.* Benedicam Dominum.

℣. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 1. in Domin. 15. de B. Tobia, qui eſt 226. de temp.

Lectio iv.

BEatus Tobias, qui panem ſuum nouerat frangere eſurienti, mercedem celerem mercenario præparat laboranti. Patientes lectione percepta, quæ nuper eſt recitata, admirabamur patris, filijque tractatum, quemadmodum Angelus monet, quem æſtimabant terrenum ſub cæleſti gloria mercenarium: Ad hoc enim cæcitatis incurrit exitium, vt Angelum ſuſciperet medicum, qui diuinis facibus incenſus ſic anhelauit. Honeſta eſt oratio cum ieiunio,

& eleemoſyna. Oratio iuſti clauis eſt cæli. Aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Licet alta vt terra, altum cælum, audit tamen Deus hominis linguam, ſi mundam habet conſcientiam. Cum ſenſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus. Sufficit auribus imber oculorum: fletus citiùs audit, quàm voces. Oratio inuidi ſolet de auribus propulſari. Erat patris, & filij anima vna, dum eſſet proprietas membrorum, erat illis ſingularis germanitas animorum. Fili, inquit, dimittamus iſtum hominem, adijcientes ad mercedem placitam, quia nobis multa opere ſuo contulit bona: & rogare cœpit mercenarium, vt mercedis ſuæ ſumat effectum. Frater, inquit, accipe quod tuum eſt, & tunc vade ſaluus. Recipe mercedem tuam, quia mihi, & filio meo bonam præbuiſti miſericordiam. Tolle, vt dixi, ſubſtantiam, quam cum filio meo reportaſti; nam gratia, quam tibi debemus, non poteſt ponderari.

℞. Interrogauit Tobias Angelum: De qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui reſpondens, ait: * Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius. ℣. Genus quæris mercenarij, an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne fortè ſolicitus ſis. Ego ſum Azarias.

Lectio v.

CОntinuo Angelus gaudet de cogitata mercede, qui miſſus fuerat gratis facere pietatem. Tobis, inquit, vel Tobias, quid de mea mercede ſatis ſuperfluè cogitaris? Habete quod vobis donauit Pater ille cæleſtis: Ego miniſter ſum curationis, ille eſt auctor ſanitatis. Neſcitis cuius mercenarij ope perfrui meruiſtis. Defũctos captiuitatis ſepelire non timuiſtis: Tobis, aſcenderunt ad Dominum opera tua, quia relicto prandio, reddidiſti mortuum ſepulturæ. Ego Domino medullata intuli ſacrificia pro venerabili ſepultura. Ego directus ſum operarius fori cæleſtis. Mortuum ſepeliſtis, & mortis aculeum non timuiſtis. Ipſe ſepultus pro vobis voce tacita proclamauit. Probationis fuerat cæcitas oculorum, vnde patientia tua clariùs meruiſſit de cæleſtibus ornamentum. Ego ſum Raphaël, vnus ex ſeptem Angelis, qui aſtamus ante claritatem Dei. Non indigeo fructu humanæ mercedis, diuitem me facit conuerſatio Maieſtatis. Diues eſt ille, qui me miſit; gratis iuſſit impendi, quod gratis ipſe conceſſit. Nec ipſum honorem gratiarum mihi deputetis, quia nihil meis viribus percepiſtis. Deũ benedicite, & illi confitemini, & ipſum glorificate, quia vobiſcum fecit bona.

℞. Exi-

℟. Exiuit Tobias, vt lauaret pedes ſuos; & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum, qui expaueſcens, clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me: & dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. * Exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; ſunt enim neceſſaria ad medicamenta vtiliter. ℣. Attraxit autem Tobias piſcem in ſiccum, & palpitare cœpit ante pedes eius, & ait Angelus ei. Exentera.

Lectio. vj.

SVbitò patefacto myſterij cæleſtis honore, voce Raphaëlis Archangeli attoniti Tobis, & Tobias, collapſi in terram proruerunt, vocem tremulam penitùs occultauerunt, quia vocem inſolitam audierunt. Quid metuiſtis pater Tobis, filiuſque Tobias? Mercenarium habere cęleſtem, & tanquam operarium locare terreſtrem? Celauit vobis Angelus nomen, Azarias ſum, inquit, Ananiæ magni filius; & cũ dixit: Ego ſum Raphaël Angelus, celauit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret: Ego ſum Angelus, non eſſet Tobiæ mercenarius. Seruata eſt dignitas nominis, vt poſtremo magnitudo clareſceret dignitatis. Videte, chariſſimi, quantũ ſit eleemoſynæ meritum, Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit mortuos ſepelire, vt oblatio eius per Angelum Raphaëlem ad cæleſtem aſcenderet Maieſtatem. Videtis, quia eleemoſyna á morte liberat, & ipſa purgat peccata, facit purgationem oculorum, liberat á tenebris peccatorum. Tobis via ſua deducitur, Sara tot viris contriſtata per Angelum matrimonio copulatur.

℟. Vbi introieris domum tuam, dixit Angelus Raphaël ad Tobiam, ſtatim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum: * Statimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quem portas tecum: ſcias enim, quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aſpectu tuo gaudebit. ℣. Tolle tecum ex felle iſto piſcis; erit enim neceſſariũ. Statimque. Gloria Patri. Statimque.

In tertio Nocturno.

Aña. Eſt hic Sara Raguelis filia, quæ tibi coniugio dabitur, & omnis ſubſtantia eius. *Pſalm.* Cantate Domino. *Aña.* Septem viros habuit, quos dæmonium oppreſſit, timeo ne mihi ſimile contingat. *Pſalm.* Dominus regnauit, exultet. *Aña.* Per tres dies orationi cum vxore tua vacabis, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris. *Pſalm.* Benedic anima mea Domino. ℣. Apprehendit Angelus Raphaël dæmonium.

℟. Et

℟. Et religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.

Lectio ſancti Evangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 5.*

IN illo tempore: Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 17. in cap. 5. Ioan.

MIrum non eſſe debet á Deo factum miraculum; mirum enim eſſet, ſi homo feciſſet. Magis gaudere, quam mirari debemus: quia Dominus noſter & Saluator Ieſus Chriſtus homo factus eſt; quam quod diuina inter homines Deus fecit. Plus eſt enim ad ſalutem noſtram, quod factus eſt propter homines, quám quod fecit inter homines, & plus eſt, quod vitia ſanauit animarum, quam quod ſanauit languores corporum morituro-rum.

℟. Benedicite Deum cæli, dixit Angelus Raphaël, & coram omnibus viuentibus confitemini ei: * Quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. ℣. Ipſum benedicite, & cantate illi, & narrate omnia mirabilia eius. Quia fecit.

Lectio viij.

SEd quia ipſa anima nec eum nouerat, á quo ſananda erat, & oculos habebat in carne, vnde facta corporalia videret; non-dum habebat ſanos in corde, vnde Deum latentem agnoſceret. Fecit quod videre poterat, vt ſaneretur, vnde videri non poterat. Ingreſſus eſt locum, vbi iacebat magna multitudo languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum.

℟. Tempus eſt vt reuertar ad eum qui me miſit, dixit Angelus Raphaël: * Vos autem benedicite Dominum, & narrate omnia mirabilia eius. ℣. Confitemini ei coram omnibus viuentibus; quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Vos autem. Gloria Patri. Vos autem.

Lectio jx.

ET cum eſſet medicus, & animarum, & corporum, & qui veniſſet ſanare omnes animas creditorum, de illis languentibus vnum elegit, quem ſanaret, vt vnitatem ſignificaret. Si mediocri corde, & quaſi humano captu, & ingenio conſideremus facientem, & quod ad poteſtatem pertinet, non magnum aliquid perfecit: & quoad benignitatem, parum fecit. Tot iacebant, & vnus curatus eſt, cũ poſſet vno verbo omnes erigere. Te Deum laudamus.

AD LAVDES,

& per Horas. Aña.

MIſſus eſt Angelus Raphael ad Tobiam, & Saram, vt curaret eos. *Pſalm.* Dominus regnauit. *cum reliq. de Laudibus Dominica, Aña.* Ingreſſus Angelus

gelus ad Tobiam, ſalutauit eum, & dixit: Gaudium ſit tibi ſemper. *Aña.* Forti animo eſto Tobias, in proximo enim eſt, vt à Deo cureris. *Aña.* Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. *Aña.* Pax vobis, nolite timere: Deum benedicite, & cantate illi.

Capitulum. Tob. cap. 12.

QVando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Hymnus.

CHriſte ſanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis, & Auctor,
Nobis ſacratum tribue benignus
Scandere cælum.
Angelum nobis Medicum ſalutis
Mitte de cælis Raphaël, vt omnes
Sanet ægrotos, pariterque noſtros
Dirigat actus.
Hinc Dei noſtri genitrix Maria,
totus, & nobis chorus Angelorum
Semper aſſiſtat, ſimul, & beata
Concio tota.
Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque ſancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Benedictus. Aña.

Ego ſum Raphael Angelus, qui aſto ante Dominum, vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius, alleluia.

Oratio.

DEus, qui beatum Raphaëlem Archangelum Tobiæ famulo tuo comitem dediſti in via: concede nobis famulis tuis: vt eiuſdem ſemper protegamur cuſtodia, & muniamur auxilio. Per Dominum noſtrum.

Ad Tertiam. Aña. Ingreſſus Angelus. *Capitulum.* Quando orabas. *vt ſuprà.*

℟. *bre.* Stetit Angelus. * Iuxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureũ in manu ſua. Iuxta aram templi. Gloria Patri. Stetit Angelus. ℣. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam. Aña. Forti animo.

Capitulum. Tob. cap. 12.

ET nunc miſit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael An-

Angelus vnus ex ſeptem, qui ſtamus ante Dominum.

℟. *bre.* Aſcendit fumus aromatum. * In conſpectu Domini. Aſcendit. ℣. De manu Ageli. In conſpectu Domini. Gloria Patri. Aſcendit. ℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Nonam. Aña. Pax vobis.

Capitulum. Tob. cap. 12.

TEmpus eſt, vt reuertar ad eum, qui me miſit: Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.

℟. *bre.* In conſpectu Angelorum. * Pſallam tibi Deus meus. In conſpectu ℣. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Pſallam tibi Deus meus. Gloria Patrij. In conſpectu. ℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli eius.

In ſecundis Veſperis. Aña. Miſſus eſt Angelus. *cum reliq. Antiphonis de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Dominica: & loco vltim. Pſalm.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo, * Quoniam audiſti.

A Capitulo fit de Sanctis Gavino, &c. Martyr cum commemorat. ſancti Raphaelis.

Aña. Princeps glorioſiſſime Raphaël Archangele, eſto memor noſtri; hic, & vbique ſemper precare pro nobis Filium Dei.

℣. Stetit Angelus. *Orat.* Deus qui beatum. *vt ſuprà.*

Deinde fit commemor. Ss. Chryſanthi, & Dariæ mart. Aña. Veſtri capilli. ℣. Exultabunt ſancti.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

In feſto ſancti Narciſſi Pontificis, & Martyris, Patroni Eccleſiæ, & Diœceſis Gerundenſis.

Duplex Primæ Claſis.

Cum Octava.

In omnibus Regnis Hiſpaniæ, ex conceſſione Sac. Rit. Congreg. die 12. *Martij.* 1689.

Omnia ds Communi vnius Martyris præter ea, quæ hic propria aſſignantur.

Oratio.

DEus, qui beatum Narciſſum Martyrem tuum, atque Pontificem iluſtri laurea decoraſti, eiuſque corpus admirabili integritate clarificas: concede propitius; vt eius deprecatione, incorrupta gaudia felicitatis æternæ conſequamur. Per Dominum noſtrum.

In Veſperis fit commemoratio Ss. Apoſtolorum Simonis, & Iudæ.

In primo Nocturno.

De libro Ioſue.

Lectio j. Cap. 2.

MIſit igitur Ioſue, filius Nun de Setin, duos viros exploratores in abſcondito: & dixit eis: Ite, & conſiderate terram, vrbemque Jericho.

Qui

Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis nomine Rahab, & quieverunt apud eam. Nuntiatumque eſt Regi Jericho, & dictum: Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filijs Iſraél, vt explorarent terram. Miſitque Rex Jericho ad Rahab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam; exploratores quippè ſunt, & omnem terram conſiderare venerunt. Tollenſque mulier viros, abſcondit, & ait: Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam, vnde eſſent: cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, neſcio quò abierunt: perſequimini citò, & comprehendetis eos.

℟. Exploratores Euangelicos, Narciſſum, & Fœlicem, Afra meretrix hoſpitio excepit, * Et Dei miniſtros paganorum inſidijs liberauit.

℣. Felix mulier, quæ bonum opus operata eſt. Et Dei miniſtros.

Lectio ij.

IPſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat. Hi autem qui miſſi fuerant, ſequuti ſunt eos per viam, quæ ducit ad vadum Jordanis: illiſque egreſſis, ſtatim porta clauſa eſt. Necdum obdormierant, qui latebant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait: Noui quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror veſter, & languerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quod ſiccauerit Dominus aquas Maris rubri ad veſtrũ introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon, & Og, quos interfeciſtis.

℟. Abiecta ad Narciſſi pedes Afra, dixit: Obſecro te Domine. * Vt me facias mundari à peccatis meis.

℣. Beata eſt fides tua, ò mulier, faciemus in te miſericordiam, & veritatem. Vt me facias.

Lectio iij.

ET hæc audientes, pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum. Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita, & vos faciatis cum domo patris mei: detiſque mihi verum ſignum, vt ſaluetis patrem meum, & matrem, fratres, ac ſorores meas, & omnia, quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras à morte. Qui reſponderunt ei: Anima noſtra ſit pro vobis in mortem, ſi tamen non prodideris nos. Cumque tradiderit nobis Dominus ter-

ram, faciemus in te miſericordiam, & veritatem. Demiſit ergo eos per funem de feneſtra: domus enim eius hærebat muro.

℟. Narciſſus Epiſcopus tribus vulneribus feliciter occubuit. * In confeſſione Sanctiſſimæ Trinitatis.

℣. Hic eſt bonus Paſtor, qui animam ſuam dedit pro ovibus ſuis. In confeſſione. Gloria Patri. In confeſſione.

In ſecundo Nocturno.

Ex Breviarijs Gerundenſi, Auguſtano, & alijs monumentis.

Lectio jv.

SAnctiſſimus Pater, & Epiſcopus noſter Narciſſus, quo tempore fervebat Diocletiani perſecutio, in Rhetiam Provinciam, diuino monitu, cum Fœlice Diacono ſuo profectus, Auguſtam Uindelicorum appulit. Quo cum perueniſſet ad Afræ domicilium diuertit. Afra veró, & ſi meretrix comperto tamen, eum eſſe Chriſtianorum Epiſcopum, Dei ſpiritu commota, reſpuit, & ad illius pedes ſe abiecit. Bono autem animo eſſe iuſſa, cum Narciſſo, & Fœlice in oratione pernoctauit. Circa autem noctis gallicinium, cum lumen candelæ extinctum eſſet, orante Narciſſo, lux è cælo delapſa, diuerſorium occupauit: Orto iam Sole, Narciſſum, & Fœlicem occultauit Afra, & indagatores, ab infidelibus miſſos eluſit. Pulſo poſteá indé dæmone, qui ſemel, iterumque ſe videndum præbuerat, multa patrata ſunt à Narciſſo miracula, quibus Afram, & eius ancillas, Dignam, Eunomiam, & Eutropiam, Hilariamque eius matrem ad fidem conuertit, & ſalutari aqua perfudit.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & á ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Deſcenditque cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

IN ea Urbe aliquandiu cum Felice commoratus Narciſſus, multos ad Chriſtianam religionem allexit, & conſecrata in Dei cultum Hilariæ domo, & Dionyſio antea Zozimo, Afræ avunculo ad Sacerdotium euecto, & Epiſcopo creato, poſt nouem menſes, in excolendis inibi animis conſumptus, reuerſus eſt Gerundam, atque ibi tanquam in legitimo ſolo, integrum triennium poſuit, in amplificanda Chriſti fide. Quo ex labore collegit vberrimos fructus. Sed cùm adhuc eo tempore, Diocletiani crudelitas, vbique terrarum, in Eccleſiam ſæuiret; Sanctiſſimus Pontifex, dum ſacris operaretur, grauiter in gutture, humero, ac ſura vulneratus, martyrij palmam obtinuit,

nuit, quarto Kalendas Nouembris, anno circiter ducenteſimo nonageſimo.

℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine.* Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

Lctio vj.

Eius corpus à Chriſtianis ſubductum, in eodem templo, vbi paſſus ipſe eſt, religioſé aſſeruatur, quod olim Sancta Maria extra muros dicebatur, poſteà verò in honerem Sancti Fœlicis martyris Africani dicatum eſt. Claruit multis miraculis, præſertim prodigioſa quadam integritate, ad hodiernum vſque diem, rubeſcente etiam nunc, circa talum, eo cruore, qui é vulnere defluxit. Fuit etiam illud celeberrimum, quando ſub Petro Aragoniæ Rege, capta per Philippum Gallorum Regem, Gerunda, emiſſa ſunt diuinitùs, ex Narciſſi tumulo, vltricium muſcarum examina, quæ mortiferis aculeis, edita ingenti ſtrage, violati per ſummum nefas templi, ac ſepulchri vindices extitère.

℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius.

℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vj. *Cap.* 12.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Et reliqua.

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 65. in Ioann.

QVid ſignat granum frumenti, niſi cadens mortuum fuerit? De cruce loquitur, ne perturbarentur. Cum Gentiles acceſſerunt, tunc mortuum eſſe, hoc inquit, maximè populos adducet, & mei augebit præconium. Inde cum non ita verbis perſuaderet, rerum experientia id aggreditur, inquiens, hoc in frumento contingere, vt mortuum maiorem fructum afferat. Quod in ſeminibus hoc euenit, multo magis in me. Sed non intellexerunt diſcipuli, quid diceret; ideo frequenter idem repetit Euangeliſta, excuſans, quod poſtmodum fugerint.

℟. Corona aurea ſuper caput eius. * Expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria, honoris, & opus fortitudinis.

℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Expreſſa.

Lectio. viij.

TAlem, de reſurrectione diſputans, rationem Paulus attulit. Quam igitur habebunt excuſationem, qui reſurrectioni non credunt; cum in ſeminibus, & plantis quotidie hoc videamus, ac etiam in noſtro genere? Primum enim corrumpi ſemen oportet, inde fieri generationem. Omnino autem, cum Deus aliquid facit, nulla opus eſt ratione. Quomodo nos ex nihilo fecit? Hoc ad Chriſtianos dico, qui ſe dicunt credere Scripturis. Ego autem, & aliud dicam ab humanis rationibus. Alij maliтiam, alij virtutem ſectantur: ſed malitiæ ſectatorum, multi feliciter in vltimam peruenerunt ſenectutem; virtutis autem contra.

℟. Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit: * Qui minas iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad cæleſtia regna peruenit.

℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio jx.

QVomodo ergo pro meritis vnuſquiſque accipiet? Quãdo? Certè, inquiunt, ſed corpora non reſurgent. Nonnẽ audiunt Paulum dicentem, oportet autem corruptibile hoc induere incorruptionem? Neque animam intelligit, quippe quæ non corrumpitur, & reſurrectio de mortuo dicitur. Cecidit autem corpus. Quare verò corporis reſurrectionem neges? An non poſſibilis Deo eſt? Quod dicere, ſummæ amentiæ eſt. An non decet? Quamobrem? Vt corruptibile, quod, & laboris eſt, & mortis particeps, in præmijs communicet.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus. Aña.

VEnerabilis Pontifex Narciſſus, poſt laudabilem Afræ conuerſionem, ad Hiſpaniam profectus, Gerundam redijt, vbi ad martyrij palmam fœliciter peruenit.

Oratio.

DEus, qui beatum Narciſſum Martyrem tuum, atque Pontificem illuſtri laurea decoraſti, eiuſque corpus admirabili integritate clarificas: concede propitius; vt eius deprecatione incorrupta gaudia fœlicitatis æternæ conſequamur. Per Dominum noſtrum.

Ad Miſſam Introitus. Statuit ei Dominus. *cum reliquis de Communi vnius Martyris Pontificis, præter ea, quæ hic ſequuntur.*

Ora-

Oratio vt ſupra. Euangelium. Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti. *de Communi vnius Martyris.*

☞ Notandum eſt quod feſtum S. Narciſſi celebratur duplex minus, & ſine Octava, ex Decret. Sac. Rit. Congreg. & ideo Veſperę integrę dicuntur de Ss. Apoſtol. Simone, & Iuda, cum commemorat. S. Narciſſi.

IN FESTO PATROCINIJ Beatæ Mariæ Virginis. Duplex maius.

In omnibus Hiſpan. Regnis, ex conceſſione Alexandri Septimi, aliqua Dominica menſis Nouembris, ab Ordinario aſſignanda. Et ab Innocentio Vndecimo ex tenſum ad omnia Regna Catholicæ Maieſtati ſubiecta.

Si verò Dominica aſſignata ab Ordinario aliquo anno impedita fuerit aliquo die Octavo, vel alio Feſto primæ, vel ſecundæ claſſis, Feſtum Patrocinij illo anno omittatur, ex Decreto Sac. Rit. Congr. die 20. Martij 1683.

Offic. vt in feſto ſanctæ Mariæ ad Nives v. Auguſti, quæ ſequuntur exceptis.

IN PRIMIS VESPERIS.

Ad Magnificat. Aña.

SAncta Maria, ſuccurre miſeris, iuva puſillanimes, refoue flebiles ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam Feſtiuitatem.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum noſtrum.

Et fit commemorat. Dominicæ occurrentis.

In ſecundo Nocturno.

Sermo ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

Apud Metaphraſten.

Lectio iiij.

DEi Filius non diuitem, aut locupletem aliquam fœminam ſibi matrem elegit, ſed beatam Virginem illam, cuius anima virtutibus ornata erat. Cùm enim beata Maria ſupra omnem humanam naturam caſtitatem ſeruaret, propterea Chriſtum Dominum in ventre concepit Ad hanc igitur ſanctiſſimam Virginem, & Dei matrem accurrentes, eius patrocinijs vtilitatem aſſequamur. Itaque quæcumque eſtis virgines, ad matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretioſiſſimam, & incorruptibilem poſſeſſionem patrocinio ſuo vobis conſeruabit.

℟. Sicut cedrus. 73.

Lectio v.

MAgnum reuera mira culum, fratres dilectiſſimi, fuit beata ſemper Virgo Maria, Quid namque illa maius aut illuſtrius vllo vmquam tempore inuentum eſt, ſeu aliquando inueniri poterit? Hæc ſola cælum ac terram amplitudine ſuperauit. Quidnam illa ſanctius? Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles, maius aut excellentius inueniri poteſt. Eadem ancilla Dei eſt, & mater, eadem virgo, & genitrix.

℟. Quæ eſt iſta. 73.

Lectio vj.

HÆc eius mater eſt, qui á Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli & homines agnoſcunt Dominũ rerum omnium. Vis ne cognoſcere quanto virgo hæc præſtantior ſit cæleſtibus potentijs? Illæ cum timore, & tremore aſſiſtunt, faciem velantes ſuam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc, & pecatorum veniam conſequimur. Aue igitur mater, cælum, puella, virgo, thronus, Eccleſiæ noſtræ decus, gloria, & firmamentum, aſſiduè pro nobis precare Ieſum Filium tuum, & Dominum noſtrum: vt per te miſericordiam inuenire in die iudicij, & quæ repoſita ſunt ijs qui diligunt Deum, bona conſequi poſſimus, gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: cum quo Patri ſimul, & ſancto Spiritui gloria, honor, & imperium, nunc, & ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen.

℟. Ornatam monilibus. 74.

Nona Lectio dicitur de Homilia Dominicæ occurrentis, & de ea fit commer. in Laudibus, & in ſecundis Veſperis.

Miſſa vt in feſto ſanctæ Mariæ ad Niues, cum commemorat. Dominicæ occurrentis, & de ea legitur Euangelium in fine.

DIE XIIJ. NOVEMBRIS.

In feſto Sancti Didaci Confeſſ. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. exceptis his, quæ habentur infra.

Oratio.

OMnipotens ſépiterne Deus qui diſpoſitione mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius humilitati noſtræ; vt pijs beati Didaci Confeſſoris tui precibus, ad perennem in cælis gloriam ſublimari mereamur. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

DIdacus Hiſpanus ex Oppido ſancti Nicolai de Portu,

tu, Diœceſis Hiſpalenſis, ab incunte a tate, pij ſub Sacerdotis diſciplina ſanctioris vitæ ſolitariæ, in Eccleſia tyrocinium exercuit. Deinde, vt firmiùs Deo ſe coniungeret, in Conuentu de Arizzafa Fratrum Minorum (quos Obſervantes vocant) ſancti Franciſci Regulam in ſtatu laicali profeſſus eſt. Magna ibi alacritate humilis odedientiæ, & regularis obſervantiæ iugum ſubiens, contemplationi in primis deditus, mira Dei luce perfundebatur, adeò vt de rebus cæleſtibus, litterarum expers, mirandum in modum, & plane diuinitus loqueretur.

℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

CAnarijs in Inſulis, vbi Fratribus ſui Ordinis præfuit, multa perpeſſus, martyrij æſtuans deſiderio, plures infideles verbo, & exemplo ad Chriſti fidem conuertit. Romam veniens anno Iubilæi, Nicolao Quinto Pontifice, ægrotorum curæ in Conuentu Aræ cæli deſtinatus, eo charitatis affectu munus hoc exercuit, vt Vrbe annonæ inopia laborante, ægrotis tamen, quorum aliquando vlcera etiam lambendo abſtergebet, nihil penitus neceſſarij defecerit. Eximia quoque fides, & gratia curationum in eo eluxit, cum lampadis, quæ collucebat ante imaginem beatiſſimæ Dei Genitricis, quam ſumma deuotione colebat, oleo ægros invngens, ſigno Crucis impreſſo, multorum morbos mirabiliter ſanauerit.

℟. Amauit eum Dominus. 9.

Lectio vj.

DEmum Compluti finem ſibi vitæ adeſſe intelligens, lacera, & obſoleta indutus tunica, coniectis in Crucem oculis, ſingulari deuotione illis verbis ex ſacro Hymno pronunciatis: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quę fuiſti digna portare Regem cælorum, & Dominum, animam Deo reddidit pridie Idus Nouembris, anno Domini ſupra milleſimum quadringenteſimo ſexageſimo tertio. Eius corpus, cum menſes non paucos (vt pro Confluentium deſiderio fieret ſatis) inſepultum manſiſſet, quaſi iam incorruptionem induerit, odorem ſuauiſſimum aflauit. Illum multis, & illuſtribus miraculis clarum Sixtus Quintus Pontifex Maximus Sanctorum numero adſcripſit.

℟. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno Homilia Venerabilis Bedæ in Euangel. Nolite timere puſillus grex. *vt in Communi Confeſſ. non Pontif. Miſſ*: Iuſtus vt palma. *de Communi Confeſſ. non Pontif. cum Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus. *vt ſupra.*

DIE

DIE XV. NOUEMBRIS.

In feſto Sancti Eugenij Martyr. Archiepiſcopi Toletani.

Duplex in Regnis Hiſpaniarum.

Omnia de Communi vnius Martyris, exceptis his, quæ ſunt propria.

Oratio.

DEus, qui præſentem diem beati Eugenij martyris tui atque Pontificis martyrio conſecraſti: preſta propitius; vt cuius annua celebritate lætamur, eius meritis donum tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Actibus Apoſtolorum. A Mileto Paulus. *vt in Communi vnius Martyris.*

In ſecundo Nocturno.

Ex Brev. Mart. & Hiſtor. antiquis, & vita Gerardi Abbatis Bronienſis, in qua multa dicuntur de miraculis ſancti Eugenij. Habetur apud Surium. Tom. 5.

Lectio iiij.

EUgenius Dionyſij Areopagitæ diſcipulus, primus Toletanus Epiſcopus fuit. Qui Dionyſio magiſtro ſuo ad Galliam erudiendam relicto, ipſe ad Hiſpaniam Evangelij luce illuſtrandam profectus, in intima Prouinciæ delatus, Toletum venit: vbi plurimos filios Ieſu Chriſto peperit, parenſque Eccleſiæ Toletanæ, atque inſtitutor fuit. Quam Eccleſiam á ſe fundatam, vt magis ſtabiliret & communicatis conſilijs amplificaret, ad Dionſium redijt in Galliam. Quo tempore, Domitiano Imperatore ſecundam in Chriſtianos perſecutionem mouente, á Siſinij Præfecti ſatellitibus comprehenſus, ad Diolum (quod oppidum non longè â Lutetia Pariſiorum abeſt) de fide ſua interrogatus, Chriſtum verum, & ſolum Deum ſe pia mente colere, magna libertate profeſſus eſt. Qua in confeſſione ab impietatis miniſtris gladio percuſſus, martyrio coronatur decimo ſeptimo Kalendas Decembris.

℟. Honeſtum fecit. 112.

Lectio v.

COrpus Eugenij, ne á Chriſtianis honore afficeretur, in lacum Marcaſium, ei loco propinquum, vbi occiſus eſt, á Gentilibus proiectum, multis ſæculis latuit: donec beatus Dionyſius. Areopagita. Hercoldum quemdam virum nobilem, graui morbo oppreſſum, per quietem admonuit, vt fratris ſui ac condiſcipuli Eugenij corpus ex Marcaſio lacu, vbi adhuc iacebat, extractum, honeſto loco collocaret. Sanitati reſtitutus Hercoldus, confeſtim diuina iuſſa exequitur: in ignobili loco nobile corpus inuenit, integrum prorſus atque incorruptum: in Diolo oppido magnificè condidit,

dit, vbi etiam templum hac de cauſa conſecratum eſt. Inde nouo item miraculo in Eccleſiam ſanctiDionyſij adLutetiam Pariſiorum poſteà translatum eſt.

℟. Deſiderium animæ. 112.

Lectio vj.

NAm, cùm populi ex Diolo ſolemni ſupplicationum pompa, Dei placandi cauſa, ad ædem Diui Dionyſij aliquando profecti eſſent, corpuſque Eugenij magna veneratione ſecum detuliſſent, vt eo videlicèt deprecatore compotes voti à Deo fierent: atque omni re diuina confecta, domum redire, & ſacratiſſimas Eugenij reliquias referre vellent, diuinitus factum eſt, vt immobiles conſiſterent, nullaque vi de loco, vbi erant, dimoueri poſſent. Quo circa pro comperto habitum eſt, Dei eſſe voluntatem, vt tunc quidem Eugenij corpus in eo potiſſimum templo honoraretur, vbi Dionyſij corpus iacebat. Itaque Diolenſibus de amiſo theſauro mœrore affectis, monachi cœnobij ſancti Dionyſij pro Dei munere læti, facilè corpus Eugenij mouerunt: & in ſacello parato honorificè collocarunt: vbi clariſſimis celebre ſignis magna finitimorum populorum religione tamdiu cultum eſt, quouſque ſingulari Dei beneficio Eccleſiæ Toletanæ, quam ipſe fundauerat, & primus Epiſcopus rexerat, poſt mille quingentos ferme annos redditum eſt.

℟. Stola iucunditatis 113.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. 12. d.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit ipſum ſolum manet. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Et Tractae. 51. in Ioannem, ſum medicum.

IPſe Dominus Ieſus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum in fidelitate Iudæorum, multiplicandum fide populorum. Iam verò exhortans ad paſſionis ſuæ ſectanda veſtigia. Qui amat, inquit, animam ſuam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi poteſt. Qui amat, perdet: id eſt, ſi amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Chriſto, noli mortem timere pro Chriſto. Item alio modo: Qui amat animam ſuam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

℟. Corona aurea ſuper caput eius, * Expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria, honoris, & opus fortitudinis.

℣. Quoniam præueniſti eum

in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Expreſſa.

Lectio. viij.

HOc autem, quod poſteriùs dixi, magis habere videtur Euangelicus ſenſus. Sequitur enim: Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ergo, quod ſuprà dictum eſt, qui amat (ſubintelligitur, in hoc mundo, pſe vtique perdet: qui autem odit (vtique in hoc mundo) in vitam æternam ipſe cuſtodit eam. Magna, & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor vt pereat, odium ne pereat. Si malé amaueris, tunc odiſti: ſi benè oderis, tunc amaſti. Felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.

℟. Hic eſt veré martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit: * Qui minas iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad cæleſtia regna peruenit.

℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio jx.

SEd vide ne tibi ſuprebat, vt te ipſum velis interimere, ſic intelligendo, quod debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque peruerſi homines, & in ſeipſis crudeliores, & ſceleratiores homicidæ, flammis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitio ſe collidunt, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit: immo etiam diabolo præcipitium ſuggerenti reſpondit: Redi retro Satanas; ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus erat Deum: Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas quo volebas: cum autem ſenueris, alter te cinget, & feret quo tu non vis. Ubi ſatis expreſſit, non á ſe ipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti.

Te Deum laudamus.

DIE XIX. NOVEMBRIS.

In feſto ſanctæ Eliſabeth Viduæ Reginæ Hungariæ.

Duplex.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virg. nec Mart. pretær ea, quæ hic habentur propria.

Oratio.

TVorum corda fidelium Deus miſerator illuſtra: & beatæ Eliſabeth precibus glorioſis fac nos proſpera mundi deſpicere, & cæleſti ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit commemorat. ſancti Pontiani Papæ, & martyris.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

ELiſabeth, Andreæ Regis Hungariæ filia, ab infantia Deum timere cœpit; & creſcens ætate, creuit etiam pietate. Ludouico Lantgrauio Haſſiæ, & Thuringiæ in coniugem copulata, non minori cura quæ Dei, quàm quæ viri ſui erant exequebatur: ſurgens enim nocturno tempore, orationi diù incumbebat; ac varijs miſericordiæ officijs dedita, viduis, pupillis, ægrotis, egentibus ſedulò inſeruiebat: grauique fame vrgente, domus ſuæ frumenta liberaliter erogabat. Leproſos hoſpitio ſuſcipiens, manus eorum, & pedes oſculabatur. Curandis autem, & alendis pauperibus inſigne xenodochium conſtruxit.

℟. Propter veritatem. 69.

Lectio v.

DEfuncto coniuge, vt Deo liberiùs ſeruiret, depoſitis omnibus ſæcularis gloriæ indumentis, vili tunica induta eſt; atque Ordinem Pœnitentium ſancti Franciſci ingreſſa, patientiæ & humilitatis virtute maximè enituit. Nam bonis omnibus exuta, à proprijs ædibus eiecta, ab omnibus derelicta contumelias, irriſiones, obtrectationes inuicto animo tolerauit; adeò vt ſummo perè gauderet, ſe talia pro Deo pati. Ad infirma quæque miniſteria erga pauperes, & ægrotos ſe abijciens, eis neceſſaria procurabat, ſolis oleribus & leguminibus pro ſuo victu contenta.

℟. Dilexiſti iuſtitiam. 70.

Lectio vj.

CVm verò in his alijſque pluribus ſanctis operibus vitam religioſiſſimè tranſegiſſet, finis tandem ſuæ peregrinationis aduenit, quem domeſticis ſuis ante prędixit. Cumque defixis in cælum oculis diuinæ contemplationi vacaret, à Deo mirabiliter recreata, & Sacramentis refecta, obdormiuit in Domino. Statimque plurima ad eius tumulum miracula patrata ſunt. Quibus auditis, & ritè probatis, Gregorius Nonus Sanctorum numero eam adſcripſit.

℟. Fallax gratia. 71.

In tertio Nocturno Homilia ſancti Gregorij Papæ in Evangel. Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito. *de Communi nec Virginum, nec Martyrum.*

Nona Lectio de ſancto Pontiano Papa, & mart. cum commemorat. in Laudib.

Miſſa: Cognovi Domine. *pro nec Virg. nec Mart. Oratio propria, & commemorat. S. Pontiani Papæ, & martyris.*

DIE XX. NOVEMBRIS.

In feſto ſancti Felicis de Valois Confeſſ. Duplex, in Hiſpania tantum.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. Exceptis his, quæ ſunt propria.

Oratio.

DEus, qui beatum Felicem Confeſſorem tuum ex eremo ad munus redimendi Captiuos cælitus vocare dignatus es: præſta quæſumus; vt per gratiã tuam ex peccatorum noſtrum captiuitate, eius interceſſione liberati, ad cæleſtem patriam perducamur. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

FElix, Hugo antea dictus, ex regali Valeſiorum Familia ortus in Gallia, ab ineunte ætate non leuia dedit futuræ ſanctitatis inditia, præſertim miſericordiæ erga pauperes: nã adhuc infantulus manu propria, ac ſi grandior eſſet, & iudicij maturitate polleret, nummos egenis diſtribuit. Iam grandiuſculus ſolebat ex appoſitis in menſa dapibus ad ipſos mittere, & ferme eo, quod ſapidius erat, obſonio pauperculos pueros recreabat. Adoleſcens non ſemel veſtibus ſe expoliauit, vt inopes cooperiret. Ab Auunculo Theobaldo Xamphanæ, & Bleſij Comite vitam reo mortis impetrauit, prædicens hunc infamen, hactenus ſicarium, mox ſanctiſſimis præditum moribus euaſurum: veridicum teſtimonium monſtrauit euentus.

℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

POſt exactam laudabiliter adoleſcentiam, cæpit ex cæleſtis contemplationis ſtudio ſolitudinem cogitare: prius tamen voluit ſacris initiari, vt omnem Regni, cuius ſucceſſione iure Legis Salicę non longe diſtabat, ſpem ſibi præcideret. Sacerdos factus, & prima Mlſã deuotiſſimè celebrata, non multo poſt in eremum ſeceſſit, vbi ſumma abſtinentia victitans, cæleſtium chariſmatum abundantia paſcebatur. Ibi cum ſancto Ioanne de Matha Pariſienſi Doctore, á quo ex Diuina inſpiratione quæſitus, & inuentus, per aliquot annos ſanctiſſimè vixit; donec ambo per Angelum á Deo admoniti Romam petierunt, ſpecialem à Summo Pontifice viuendi regulam impetraturi. Facta igitur Innocentio Papæ Tertio inter Miſſarum ſolemnia reuelatione Religionis & Inſtituti de redimendis Captiuis, ab ipſo Pontifice, ſimul cum ſocio candidis veſtibus bicolori Cruce ſignetis induitur, ad eam formam qua Angelus indutus apparuit, & in ſuper voluit Pontifex, vt noua Religio iuxta triplicem colorem, quo habitus conſtat, Sanctiſſimæ Trinitatis titulo decoraretur.

℟. Amauit eum Dominus. 9.

Le-

Lectio vj.

REgula propria ex Summi Pontificis Innocentij confirmatione acepta, in Diœceſi Meldenſi apud locum, qui Ceruus Frigidus dicitur, primum Ordinis paulo ante à ſe, & ſocio extructum cœnobium ampliauit, vbi Religioſam obſeruantiam, & Redemptionis Inſtitutum mirificé coluit, ac indè per alumnos in alias Prouincias diligentiſſimè propagauit. Illuſtrem hic à beata Virgine matre fauorem accepit, dormientibus ſiquidem cunctis fratribus, & ad matutinas preces in peruigilio Natiuitatis Deiparæ media nocte recitandas, Deo ſic diſponente, non ſurgentibus; Felix de more vigilans, & horas præueniens, chorum ingreſſus, reperit beatam Uirgnem in medio chori habitu Cruce Ordinis inſignito indutam, ac Cæleſtibus ſimilitèr indutis ſociatam. Quibus permixtus Felix præcinente Deipara, laudes diuinas concinuit, riteque perſoluit. Et quaſi iam á terreſtri ad cæleſtem chorum euocaretur, inſtantis mortis ab Angelo certior factus, filios ad charitatem erga pauperes, & Captiuos adhortans, animam Deo reddidit, ætate ac meritis conſummatus, anno poſt Chriſtum natum ducenteſimo duodecimo ſupra milleſimum, ſub eodem Pontifice Innotentio Tertio.

℟. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri in Euangel. Nolite timere puſillus grex. *de eodem Communi.*

Miſſa. Iuſtus vt palma florebit. *de eodem Communi. Orat. propria, vt ſuprá.*

DIE XXVI. NOUEMBRIS.

In feſto Deſponſationis Beatæ Virginis Mariæ cum ſancto Ioſeph. Duplex.

AD UESPERAS.

Aña. Deſponſatio glorioſæ. *cum reliquis de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de beata Maria, vt in eius Officio Parvo.*

Capitulum. Eccl. 24. b.

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. *Hymnus.* Aue maris ſtella. ℣. Deſponſatio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis. ℟. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Magnificat. Aña.

Glorioſæ Virginis Mariæ Deſponſationem digniſſimam recolamus, quæ, & genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amiſit.

Oratio.

FAmulis tuis, quæſumus Domine, cęleſtis gratię munus impertire: vt quibus beatæ Uirginis partus extitit ſalutis exordium, Deſponſationis eius voti-

væ

va ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum noſtrum. *Deinde fit commemorat. ſanctæ Catharinæ Virg. & Mart.*

Aña. Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus preparauit in æternum.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio.

DEus, qui dediſti legem Moyſi in ſummitate montis Sinai, & in eodem loco per ſanctos Angelos tuos corpus beatæ Chatarinæ Virginis, & martyris tuæ mirabiliter collocaſti: præſta quæſumus; vt eius meritis, & interceſſione, ad montem, qui Chriſtus eſt, peruenire valeamus.

Poſteà ſancti Petri Alexandrini Epiſcopi, & Martyr.

Aña. Iſte ſanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem, & á verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat ſupra firmam petram. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Oratio.

INfirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis grauat, beati Petri martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum noſtrum.

Ad Matutinum. Inuitatorium.

Deſponſationem Virginis Mariæ celebremus. * Chriſtum eius Filium adoremus Dominum, *Pſalmus.* Venite, exultemus. *Hymnus.* Quem terra, pontus, ſidera. 101.

Aña. Pſalm. & ℣. Nocturnorum, vt in Officio beatæ Mariæ.

In primo Nocturno.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende, proſperé procede, & regna.

Incipiunt Cantica Canticorum.

Lectio j. *Cap. 1.*

OSculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in celaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

℟. Hodie Deſponſata eſt beata virgo Maria ex progenie Dauid: * Per quam ſalus mundi credentibus apparuit, cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo. ℣. Deſponſationem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio ij.

NOlite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit

uit me ſol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. Si ignoras te, ó pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia.

℞. Beatiſſimæ Virginis Mariæ Deſpõſationem deuotiſſimè celebremus: * Vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum. ℣. Cum iucunditate Deſponſationem beatæ Mariæ Virginis deuotiſſimè celebremus. Vt ipſa.

Lectio iij.

MVrenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus: tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.

℞. Glorioſæ Virginis Mariæ Deſponſationem digniſſimam recolamus: * Cuius Dominus humilitatem reſpexit, quæ Angelo nuntiante concepit Saluatorem mundi.

℣. Beatiſſimæ Virginis Mariæ Deſponſationem deuotiſſimè celebremus. Cuius. Gloria Patri. Cuius.

In ſecundo Nocturno.

℣. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo. ℞. Deus in medio eius, non commouebitur.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 2. ſuper miſſus eſt.

Lectio iiij.

OPortebat á principio mundi aliquandiu celari diuini conſilij Sacramentum: non quod Deus, ſi palám opus ſuum facere vellet, impediri poſſe ab illo metueret, ſed quia ipſe, qui non ſolùm potenter, ſed etiam ſapienter quæcumque voluit fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum vel temporum congruentias, propter ordinis pulchritudinem, ſeruare conſueuit: ita in hoc quoque tam magnifico opere ſuo, noſtræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam ſuam, ſed & prudentiam oſtendere voluit.

℞. Deſponſatio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex

ſtirpe Dauid, * Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

℣. Hodie Deſponſata eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius vita. *Lectio v.*

CONueniens ergo erat, vt ſuauiter quoque omnia, cæleſtia ſcilicet, & terrena diſponeret, quatenus, & illinc deijciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus inuidum, nobis priùs ſuæ humilitatis, & manſuetudinis valdé neceſſarium exemplum relinqueret: ſicque mirabili fieret moderamine ſapientiæ, vt & ſuis ſuauis, & hoſtibus fortis appareret.

℟. Cum iucunditate Deſponſationem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum. ℣. Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipſa.

Lectio vj.

QVid enim prodeſſet diabolum à Deo vinci, nobis manentibus ſuperbis? Neceſſario igitur deſponſata eſt Maria Joſeph, quando per hoc, & à canibus ſanctus abſconditur, & á Sponſo virginitas comprobatur, & virginis tâm verecundiæ parcitur, quam famæ prouidetur. Quid ſapientiùs? Quid digniùs Diuina prouidentia? Vno tali conſilio ſecretis cæleſtibus & admittitur teſtis; & excluditur hoſtis, & integra ſeruatur fama Uirginis Matris.

℟. Deſponſatio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo: * Ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: * Qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam. ℣ Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. Gloria Patri. Qui ſoluens.

In tertio Nocturno.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Lectio ſancti Evangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1. c.

CVm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam convenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia ſancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Commentar. in cap. 1. Matth.

QUare non de ſimplici Virgine, ſed de Deſponſata concipitur? Primum, vt per generationem Ioſeph origo Mariæ monſtraretur: ſecundò, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera: tertiò, vt in Ægyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam, cur à Deſponſata con-

conceptus ſit: Vt partus, inquiens, eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, ſed de vxore generatum.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

℣. Et miſericordia eius á progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

ANtequàm conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto. Non ab alio inuenta eſt, niſi à Ioſeph, qui penè licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat. Quod autem dicitur: Antequàm cōuenirent, non ſequitur vt poſtea conuenerint: ſed Scriptura quod factum non ſit oſtendit. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Si quis fornicariæ coniungitur, vnum corpus efficitur: & in lege præceptum eſt, non ſolùm reos, ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati: quomodo Ioſeph, cùm crimen celaret vxoris, iuſtus ſcribitur? Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quòd Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod euenerat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: * Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam Deſponſationem. Quia ex te. Gloria Patri. Chriſtus.

Pro ſancto Petro Alexandrino Epiſcopo, & Martyre.

Lectio jx.

PEtrus Epiſcopus Alexandriæ, poſt Theònam virum ſanctiſſimum, ſanctitatis, & doctrinæ ſplendore non ſolùm illuſtrauit Ægyptum, ſed toti luxit Eccleſiæ Dei. Qui in perſecutione Maximiani Galerij illam temporum acerbitatem ita pertulit, vt multi admirabilem eius patientiam intuentes, plurimùm in Chriſtiana virtute proficerent. Is primus Arium Diaconum Alexādrinum, propter ſchiſma Meletianum, cui fauebat, á fidelium communione ſeiunxit. Ad eum capitis ab eodem Maximiano damnatum in carcere, cum Achillas & Alexander presbyteri deprecatores Arij veniſſent, reſpondit, noctu apparuiſſe ſibi Ieſum veſte diſciſſa; cauſamque rei ſciſcitanti dixiſſe: Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilacerauit. Quibus etiam prædicens fore, vt ſibi in Epiſcopatu ſucederent, præcepit, ne vmquam Arium in communionem reciperet, quem Deo mortuum eſſe ſciret. Et hac diuinam prænotionem vetam

ram fuiſſe, non diu poſt rei probauit euentus. Denique duodecimo ſui Epiſcopatus anno, ſexto Kalendas Decembris abſciſſo capite, ad martyrij coronam euolauit.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

& per Horas, Aña.

DEſponſatio glorioſæ Virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid. *Pſalm.* Dominus regnauit. *cum reliq. de Dominic. Aña.* Deſponſatio eſt hodie Sanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. *Aña.* Regali ex progenie Maria exorta refulget, cuius precibus nos adiuuari mente & ſpiritu deuotiſſimè poſcimus. *Aña.* Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. *Aña.* Cum iucunditate Deſponſationem B. Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum.

Capitulum. *Eccl. 24. b*

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. *Hymn.* O glorioſa Virginum. ℣. Deſponſatio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis. ℟. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Benedictus. Aña.

Deſponſationem hodiernā perpetuæ Uirginis genitricis Dei Mariæ ſolemniter celebremus, qua celſitudo throni proceſſit, alleluia.

Oratio.

FAmulis tuis, quæſumus Domine, cæleſtis gratiæ munus impertire: vt quibus beatæ Uirginis partus extitit ſalutis exordium, Deſponſationis eius votiua ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum noſtrum.

Et fit commemor. ſancti Petri Alexandrini Epiſc. & martyr.

Aña. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. ℣. Iuſtus vt palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. *Oratio.* Infirmitatem. *vt ſuprà in Veſperis.*

Ad Primam in ℟. breu. dicit.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad alias Horas minores. Aña. & Oratio de Laudibus.

In ſecundis Veſper. Antiph. Pſalmi. Capitul. & Hymn. vt in primis Veſperis.

℣. Deſponſatio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis. ℟. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Magnificat. Aña.

Deſponſatio tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo: ex te enim

ortus

ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter, qui ſoluens male-dictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam. *Oratio.* Famulis tuis.

DIE III. DECEMBRIS.

In feſto ſancti Franciſci Xauerij Confeſſ. Duplex.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. præter Orationem, & Lectiones ſecundi, & tertij Nocturni.

In Hymno ad Matutinum, & in ſecundis Veſperis tertius Verſus dicatur: Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores.

Oratio.

DEus, qui Indiarum Gentes beati Franciſci prædicatione & miraculis Eccleſiæ tuæ aggregare voluiſti: concede propitius; vt cuius glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit commemorat. ſanctæ Bibianæ.

Poſteà de Feria. quod & ſeruatur per totum Aduentum in Veſperis, & Laudibus.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

FRanciſcus in Xauerio Diœceſis Pampelonenſis nobilibus parentibus natus, Pariſijs ſancto Ignatio ſeſe comitem, & diſcipulum iunxit. Ipſo magiſtro eo breui deuenit vt in rerũ diuinarum cõtemplatione defixus, á terra aliquando ſublimis eleuaretur: quod illi ſacrificanti coram populi multitudine aliquoties euenit. Has animi delicias magnis ſui corporis cruciatibus merebatur. Nam interdicto ſibi, non carnis ſolùm & vini, ſed panis quoque triticei vſu, vilibus cibis veſci ſolitus, per biduum ſubinde triduumque omni prorſus alimẽto abſtinuit. Ferreis in ſe flagellis ita ſæuijt, vt ſępè copioſo cruore difflueret; ſomnum breuiſſimum humi iacens carpebat.

℟. Honeſtum fecit. 9.

Lectio v.

VItæ auſteritate ac ſanctitate Apoſtolico muneri iam maturus, cùm Ioannes Tertius Luſitaniæ Rex aliquot naſcentis Societatis viros à Paulo Tertio pro Indijs poſtulaſſet, ſancti Ignatij hortatu ab eodem Pontifice ad tantum opus cum Apoſtolici Nuntij poteſtate deligitur. Eo appulſus, illico variarum Gentium difficillimis, & varijs linguis diuinitus inſtructus apparuit. Quin eum quandoque vnico idiomate ad diuerſas Gentes concionantem, vnaquæque ſua lingua loquentem audiuit. Prouincias innumeras pedibus ſemper, & ſæpè nudis peragrauit. Fidem Iaponiæ, & ſex alijs Regionibus inuexit. Multa centena

tena hominum millia ad Chriſtum in Indijs conuertit, magnoſque principes, regeſque complures ſacro Fonte expiauit. Et cùm tam magna pro Deo ageret, ea erat humilitate, vt ſancto Ignatio, tunc Præpoſito ſuo, flexis genibus ſcriberet.

℟. Amauit eum Dominus. 9.

Lectio vj.

HVnc dilatandi Euangelij ardorem multitudine, & excellentia miraculorum Dominus roborauit. Cæco viſum reddidit. Tantum marinæ aquæ ſigno Crucis conuertit in dulcem, quantum quingentis vectoribus, qui ſiti adigebantur ad mortem, diù ſuffecit; qua in varias quoque regiones aſportata, ægri plurimi ſubito curati ſunt. Plures mortuos reuocauit ad vitam: inter quos pridiè ſepultum erui iuſſû è tumulo ſuſcitauit: duoſque alios dum efferrētur, apprehenſa eorum manu, parentibus è feretro viuos reſtituit. Prophetiæ ſpiritu paſſim afflatus, plurima & loco & tempore remotiſſima enuntiauit. Demum in Sanciano Sinarum inſula die ſecunda Decembris obijt plenus meritis, laboribuſque confectus. Demortui cadauer viua calce per multos menſes bis obrutum, ſed penitùs incorruptum, odore & ſanguine manauit; & vbi Malacam delatum eſt, peſtem ſæuiſſimam confeſtim extinxit. Denique vbique terrarum nouis maximiſque fulgentem miraculis, Gregorius Decimus quintus Sanctis adſcripſit.

℟. Iſte homo perfecit. 10.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 16. c*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homilia 29 in Euangel. poſt initium.

POteſt omnis creaturæ nomine omnis natio Gentium deſignari. Ante etenim dictum fuerat: In viam Gentium ne abieritis; nunc autem dicitur: Prædicate omni creaturæ: vt ſcilicèt priùs à Iudęa Apoſtolorum repulſa prædicatio tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis ſuæ teſtimonium ſuperba repuliſſet. Sed cum diſcipulos ad prædicandum Veritas mittit, quid aliud in mundo facit, niſi grana ſeminis ſpargit? Et pauca grana mittit in ſemine, vt multarum meſſium fruges recipiat ex noſtra fide.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum. 57.

Lectio viij.

NEque etenim in vniuerſo mundo tanta fidelium meſſis exurgeret, ſi de manu Domini

mini ſuper rationalem terram illa electa grana prædicantium non veniſſent. Sequitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſa vus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Fortaſſe vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat: Ego iam credidi, ſalvus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus tenet. Vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc eſt enim quod de quibuſdam falſis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.

℟. Sint lumbi veſtri. 57.

Lectio ix.

SIgna autem eos, qui credituri ſunt, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentùr nouis, ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Numquidnam, fratres mei, quia iſta ſigna non facitis, minimè creditis? Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos, cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus: & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit. Hinc eſt enim quod Paulus dicit: Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.

In Laudib. ſit commemorat. Feriæ.

Miſſa habetur propria.

DIE X. DECEMBRIS.

In feſto Sanctæ Eulaliæ Emeritenſis Virginis, & Martyris, Semiduplex de præcepto.

Pro Regnis Hiſpaniarum.

Omnia ſumuntur de Communi vnius Virginis, & Martyris, præter hic expreſſa.

In ſecundis Veſperis S. Leocadiæ, ſit commemorat. S. Eulaliæ.

Añа. Beata Eulalia vngulis ferreis vſque ad oſſa dilaniata, læto ore notas numerans, dicebat: Nunc Chriſte Ieſu in meo corpore his notis fortius inſcriberis. Delectat me hos apices legere, qui tua trophæa, nomenque tuum ſanguinis purpura ſcripta loquuntur.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, proſpere procede, & regna.

Oratio.

OMnipotẽs ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque cõfundas: da nobis in feſtiuitate ſanctæ Virginis, & Martyris tuæ Eulaliæ congrua deuotione gaudere; vt & potentiam

tiam tuam in eius paſſione laudemus, & promiſſum nobis percipiamus auxilium. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit Commemorat. infra Octav. Concept. B. V. M. & Feriæ, ac S. Melchiadis Papæ, & Martyris.

Ad Matutinum. Invitatorium. Regem virginum Dominum: * Venite adoremus. *Pſal.* Venite exultemus.

Hymnus.

INfremit Prætor, rabieque frendet,
Verbera intentat, moueant puellam,
Cuncta fruſtra; fortior & reſiſtit
Ipſa tyranno.
Vngulæ carnes laniant cruentę;
Virgo ſed plagas numerans hiulcas,
Gaudet, & Chriſti celebra triumphos
Voce ſonora.
Præſtat inſcriptos apices notare
Purpura tinctos, quibus exarantur
Nominis magni alma tui trophæa
Maxime Chriſte.
Inquit: At Prætor furijs præhenſus
Balneat fervente oleo mamillas;
Calce, tum riu's feruidis aquarum
Corpus adurit.
Attamen calce, ex liquido vè plumbo,
Nulla nec parva Eulaliam favilla
Lædit, experta omnia temperata
Virgo decora.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi comprar vtriuſque virtus,
Spiritus ſemper, Deus vnus omni
Temporis ævo. Amen.

In primo Nocturno.

Aña j. Beata Eulalia Deo timorata mente, & corpore caſta, ac Religione pudica, docebatur à Donato Presbytero.

Pſalm. Domine Dominus noſter *de Communi Virginum.*

Aña ij. Ab infantia rudimentis Chriſti confiteri docebatur.

Pſalm. Cæli enarrant.

Aña. iij. Annos adoleſcentiæ penè ingreſſa, fidem, quam ſancta deuotione conceperat, animo fortiore ſervabat.

Pſalm. Domini eſt terra, & plenitudo eius.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, proſpere procede, & regna.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Diem feſtum Sacratæ Virginis Eulaliæ celebremus: qualiter paſſa ſit ad memoriam reuocêmus: tertio decimo ętatis anno,

anno,mortem ſuperando: vitam inuenit : * Quia ſolum vitæ dilexit auctorem. ℣. Infantia quidem computabatur in annis; ſed erat ſenectus mentis immenſa. Quia ſolum vitæ.

℟. *ij*. Ab ipſa infantia Chriſti fidem edocta, non ſolum exactè ritus Chriſtianos ſeruabat, verum dari ſibi occaſionem expetebat, qua per martyrium ad cœlum poſſet euolare. * Quia fidem quam ſancta deuotione conceperat, animo fortiore ſervabat. ℣. Hæc eſt virgo ſapiens & vna de numero prudentum. Quia fidem.

℟. *iij*. Eulaliam paterna cura ob metum perſecutionis in villa tenebat abſconditam, thoro dicatam, & varijs crepundijs, vt cuſtodiam deliniret, oblatis, quæ omnia repulerat.* Quia Chriſto Sponſo ſuo ſe totam deuouerat. ℣ Hæc eſt, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Quia Chriſto. Gloria Patri. Quia.

In ſecundo Nocturno.

Aña. j. Virgo magnanima nocte conſurgens, læta progrediens, ardenti deſiderio ad martyrium properabat.

Pſalm. Eructauit cor meum.

Aña. ij. Nocte viam ſequuta virgo, lucem habuit pro duce, & diem meruit. *Pſalm.* Deus noſter refugium.

Aña. iij. Conuirginali ſuæ Iuliæ comitanti dixit. Notum ſit tibi, Domina ſoror, quia etſi nouiſſima vado, prior patiar. *Pſal.* Magnus Dominus. ℣. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in medio eius non commouebitur.

Lectio iiij.

EUlalia Virgo, Liberij nobilis Emeritenſis ciuis filia, á Presbytero Donato fidem Chriſti edocta paterna cura, ob metum perſecutionis ſub Maximiano Imperatore in loco, qui dicebatur Porceiana, & parentis poſſeſſio erat, in finibus Prouinciæ Bœicæ propè Emeritam milliario trigeſimo cuſtodiebatur cum Felice Confeſſore, & Iulia Virgine, alijſque Deum timentibus. Adcò ſiquidem eius viri boni præceptis Eulalia ſitienter adhæſit, vt non Chriſtianos ſolum exactè ritus ſeruaret, verum dari ſibi occaſionem expeteret, qua per martyrium poſſet ad cœlum euolare. Audiens autem Dacianum multos Chriſtianorum tormentis afficere ob Chriſti nomen, egreſſa domo nocte, pedibus per in via pergens, vna cum Iulia ſibi conuirginali (quæ etiam eodem die martyrium paſſa eſt) in Ciuitatem deuenit.

℟. Audiens Eulalia ſæuitiam tyranni, & Chriſtianorum cruciatus, latibula peroſa noctu ſepta, clauſtraque fugax aperit, & iter ingreditur per invia, & vepri-

vepribus oblita loca: * Angelico tamen comitata choro, & luce cœlitus demiſſa. ℣. Hæc eſt virgo ſapiens, quam Dominus vigilantem inuenit: lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Angelico tamen.

Lectio v.

CIuitatem autem ingreſſa, ad Tribunal Calphurniani, quem Legatum in Vrbe Emerita Dacianus reliquerat, accedens increpare cœpit illius ſæuitiam, & inſaniam; quod Deum verum colentes ſuplicijs vexaret, & dæmonum ſimulacra colere faceret. Quam Præſes audiens, primum verbis demulcêre aggreditur, ne in tam tenera ætate (tertium decimum enim annum agebat) vitam perdere vellet. Ad hortabatur etiam, vt dijs incenſum adoleret: Quod beata virgo renuens fuſtibus cæditur, & vngulis ab vtroque latere, vſque ad oſſa dilaniatur. In quo tormento Virgo læto ore notas numerans, in hæc verba prorupit: Scriberis ecce mihi Domine: quam iuvat hos apices legere qui tua, Chriſte, trophæa notant; nomenque tuum eliciti ſanguinis purpura loquitur.

℟. Beata Eulalia lætiſſimè, & conſtanter feſtinabat ad martyrium: * Quaſi ad epulas invitata: & agonem ſuum Domino precibus commendabat. ℣ Nobilibus orta natalibus ab ignobili gaudens trahebatur ad martyrium. Quaſi ad epulas.

Lectio vj.

AD hæc inſaniens Præſes iuſſit eam collo tenus in viuam calcem immergi, aqua ſuper infuſa, ipſamque Virginem liquefacto plumbo perfundi. Verùm cum nec ardor ille Eulalię noceret, nouiſſimè in equuleo extenditur, & ardentibus facibus, lampadibuſque latera eius aduruntur, quarum flamam in caput, & faciem involitantem Virgo aperto ore haurit: Vndè progrediens columba candidiſſima, in cœlum ſpectantibus cunctis, evolauit quarto idus Decembris. Lictoribus autem fugientibus ſancto corpore in equuleo relicto magna nivis copia deſcendit, quæ forum, corpuſque virgineum vicelin tei candidi tegebat. Inde clam à Chriſtianis ablatum ſepulturæ traditum eſt, & in Hiſpaniarum deuaſtatione à Sarracenis, in Ovetenſem Eccleſiam translatum eſt; vbi magna cum veneratione colitur. Eamque Vrbanus Octavus Pontifex Maximus in Patronam perpetuam dicti Epiſcopatus Ovetenſis conceſſit, anno incarnationis Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono.

℟. Ad paſſionem ducta Eulalia tyranno dixit: Quid perſequeris Chriſtianos, & niteris in vanum perdere Virginem Dei:

Do.

* Dominus me docet in veritate ſua: ideò non ſeduces adoleſcentiam meam. ℣. Ego annorum ſum tredecim, putas ne ætatem meam tuo poſſe terrore turbari? Dominus me docet. Gloria Patri. Dominus.

In primo Nocturno.

Aña j. Dominus docet me in veritate ſua: ideò non ſeduces adoleſcentiam meam.

Pſalm. Cantate Domino. *j.*

Aña. ij. Terrenæ vitæ blandimentis non delector, alteram beatam ſpero vitam.

Pſalm. Dominus regnauit, exultet terra.

Aña. iij. Habeo ſponſum diuitem, immortalé, qui te, tuoſque perdet.

Pſalm. Cantate Domino. *ij.*

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Lectiones de Homilia in Euang. Simile erit regnum cęlorum decem Virginibus. *vt in Communi Virginum.*

℟. *vij.* Diuerſis tormentorum generibus macerata, pēdens in equuleo ſuper his omnibus gloriabatur Eulalia, commemorans ſe ipſam in quibus ſe ab infantia præparauerat. * Omnibus ſe audientibus exhortans dicebat. ℣. Credi oportet vnum & verum Deum Patrem cęleſtem, & Ieſum Chriſtum Filium eius omnipotentem, cum Spiritu Sancto adorandum, qui eſt benedictus in ſæcula. Omnibus ſe.

℟. *viij.* Ardentibus facibus lampadibuſque eius latera adurentibus, earum flammam in caput & faciem inuolitantem ore aperto hauſit virgo. * Ex quo prodiens columba candidiſſima, expectantibus cunctis in cœlum euolauit. ℣. En dilectus meus loquitur mihi: Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Ex quo prodiens columba. Gloria Patri. Ex quo prodiens.

AD MATVTINVM.

& per Horas. Aña.

Beata Eulalia fide plena, ſpe intrepida, charitate flagrans ad martyrium ſpontè feſtinabat. *Pſalm.* Dominus regnauit, *cum reliquis de Dominica.*

Aña. Crudelibus lacerata verberibus, fortiori animo Prætoris ſeuitiam, & Ceſſaris vanam religionem increpabat. *Aña.* Tamquam aurum in fornace probata: laudes Domino decantans, incolumis exiuit á flammis. *Aña.* Benedico te Pater Domini mei Ieſu Chriſti, quia per Filium tuum nec verbera, nec ignis, nec calx, nec plumbum nocuere corpori meo. *Aña.* Qua Spiritus Sanctus ſpecie apparere non dedignatur, Eulalię ſpiritus ad cœleſtem paradiſum euolauit.

Capitulum.

FRatres, qui gloriatur, in Domino glorietur, non enim

qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat.

Hymnus.

LAmpades poſtremo Virgini ligatæ
Applicat, quæ ignem caput occupantem
Transfert in pectus, hianteque ore
Hauſit aperto.
Spiritus formam recipit columbæ,
Quæ volans cœlum penetrat corruſcum:
Contremit lictor fugiens, relicto
Corpore ſolo.
Membra tam ſæuè lacerata nuda
Contegit cœlum niue decidente:
Donat hæc pura Attalicos amictus
Artubus almis.
Virgo, quæ eſt firma Emeritæ columna,
Aſtures fortes faueas benigna:
Qui tibi ſemper referant Patronæ
Omnia fauſta.
Audias quod nos ferimus lubenter
Suplices votum: recipe & ſecunda
Tempora indulge, vt tibi perſonemus
Carmina ſancta.
Sit decus Patri, genitæque proli,
Et tibi compar vtriuſque virtus,
Spiritus ſemper Deus vnus omni
Temporis æuo. Amen.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Protereà benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus, Aña.

Beata Eulalia, dum lampadibus ardentibus vreretur, Prætori dixit: Aſſum eſt iam corpus meum, iube ſale conſpergi; ne cœleſti ſponſo inſipidum præpares holocauſtum.

Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus, *vt ſup. ad Veſper.*

In ſecundis Veſper Aña. Beata Eulalia. *cum reliquis de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Communi Virgin.*

A Capitulo fit de ſancto Damaſo Pap. & Confeſſ. cum Commemorat S. Eulaliæ.

Ad Magnificat. Aña.

Ad conſpectum columbæ prodeuntis ab ore beatæ Eulaliæ, paudi fugiunt lictores, relicto corpuſculo nudo, quod nix é cęlo ſubito demiſſa, vice linteoli candidiſſimi operuit.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus. *vt ſuprà.*

Deinde fit Commemorat. Conceptionis, & Feriæ.

Quan-

Quando Feſtum S. Eulaliæ transferatur, in vtriſque Veſperis.

Hymnus.

VIrginis laudes canimus pudicæ,
Mille quæ ſertis redimita frontem,
Duplices palmas meruit referre
Sanguine partas.
Tecta feſtina egreditur paterna;
Nec timet noctem, pauet aut tenebras;
Præuia ſed luce aperit rubeta
Cælicus ordo.
Intrat & paſſu Emeritam veloci;
Iudicis durum ſtetit ad tribunal,
Arguens cæcas venerare gentes
Numina vana.
Dulcibus verbis, ſtudijſque tentat
Prætor emollire animum puellę,
Offerat ſaltim pia thura Divis,
Cæſari placens.
Illa fallaces renuit loquelas;
Nulla promiſſa alliciunt, iniquis
Per negat ſenſus; velut aſta rupes
Fluctibus obſtat.
Sit decus Petri genitæque Proli,
Et tibi compar vtriuſque virtus,
Spiritus ſemper, Deus vnus omni
Temporis ævo.
Amen.

LAVS DEO.

JCB
18-299

2

BA700
C3630